HERM.GRVBE
DE MEDICAM
CIMPLICIBV
COGNOSCENDI

A. XXX. [illegible]

25,857/A

'Analysis mali citrei'
bound between pts. 1
+ 2 of (De arcanis)

1276.

L. IX, 21.

L. IX. 16.

25,857/A

~~A V 34~~

C

7/6
30

HERMANNI GRUBE
Lubecenſis
Philoſoph. ac Med. Doctoris
Phyſici Haderſlebienſis
Analyſis

MALI CITREI

compendioſa

Ad Botanices, Philoſophicæ juxta ac Medicæ, Cynoſuram redacta.

16 68.

HAFNIÆ, Apud *Danielem Paulli*,
Regium Bibliopolam.
Literis HENRICI GODIANI, Reg. & Ac. Typ.

APPROBATIO.

Spicilegium *hoc* De Malo Citreo Doctiſſimi D. Grube *cum voluptate legi. Quanquam enim poſt amplam* Jo. Bauhini *&* Jo. Bapt. Ferrarii *meſſem vix quicquam in Hiſtoria hujus Mali deſideremus, magnam tamen laudem Compendioſa hæc Analyſis meretur, quod propius ad uſus Medicos digreſſus Autor noſter, virtutes Mali Citrei Medicas nervosè pariter & eruditè explicaverit. Publicis noſtris typis dignum opuſculum cenſeo, & eruditi Autoris ſurgentem famam bonis ominibus proſequor. Hageſtedl XV. Nov.* 1667.

THOMAS BARTHOLINUS
Med. Fac. in Acad. Hafn.
Decanus.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

Illuſtri ac Generoſiſſimo Domino

Dn. KAJO von Allfeldt

Sereniſſimi ac Potentiſſimi Daniæ ac Norwegiæ Regis

Conſiliario Intimo ac Provinciali;

necnon

Eqviti Eminentiſſimo ac Præfecto Hatterslebienſi longè Graviſſimo, Hæreditario in Mehlbeck &c.

Domino meo ac Mœcenati Gratioſiſſimo

Hoc qualecunq; de Malo Citreo tanquam perpetui cultus ac obſervantiæ Devotiſſimæ τεκμήριον *D.*

Author.

Illuſtris ac Generoſiſſime Domine Mœcenas Gratioſiſſime,

Duo ſunt genera hominum, qui rebus naturalibus juxta ac Medicis non leve adferunt detrimentum. Quorum alii juſto latius extendunt fines rerum naturalium: alii coarctant nimis: Hi quidem vel quævis captui ſuo non obvia ſtatim ad ortum relegant Diviniorem: Illi verò, ut & ſapere videantur præter vulgus, & ſua nomine arcanorum vanô latitent ceu fraudis quâdam umbellâ; ad cenſum rerum naturalium referre non dubitant vel ea, quæ limites naturæ aut excedere videntur prorſus, aut ope fieri Dæmonum. Graviſſimus fateor eſt error ex utraq; parte tam nobilis ac longè lateq; patentis ſcientiæ, ſi uſum ſpectes inſignem; fines, quos ultra citraq; progredi nefas eſt, ignorare. Et tamen, quod dolendum eſt, Magnorum virorum, non Theologorum tantum, quos & ipſos fas eſt noviſſe, quousq; porrigantur hi fines; ſi miraculorum, quibus Divinitus revelata doctrina maximam partem inni-

innititur, magnitudinem & expendere pro merito, & deprædicare rectius velint ad auditores: Sed & ipſorum Medicorum, & in ipſa ferme orcheſtra ſedentium animis altius inſedit hic error; Pro re igitur natâ, ut uſus pateret, quem hæc ſcientia arti pollicetur Medicæ, placuit in Malo Citreo tanquam in ſpecie oſtendere, quomodo cognitio virtutum Medicarum ex accuratiore philoſophiæ cognitione naſceretur. Unde nata eſt mihi analyſis Mali Citrei philoſophica pariter ac Medica. Hanc analyſin ceu tenuem ingenii mei fætumne dixerim an abortum, VIR ILLUSTRIS, tot meritorum in me inſignium ac munificentiæ tuæ memor, ut publicum aliquod devotiſſimæ obſervantiæ indicium extaret ac ſpecimen, Illuſtri tuo nomini inſcribere volui ac debui ſanè, nil dubitans, quin, ſi vultu quô ſoles, hoc eſt benigno, acceperis; multum inde ſplendoris acceſſerit huic fœtui: Habeat itidem, quo tutus queat ab adverſantium ſpiculis ac voculis malevolorum ſub Illuſtris tui nominis auſpicio tanquam ſub clientelâ conquie-

 ſcere.

ſcere. Servet Illuſtrem Tuam Generoſitatem, Opt. Max. Deus Haderſlebiæ noſtræ: Servet toti Daniæ ac Holſatiæ; Servet Illuſtri Familiæ diu incolumem ac oppidò Florentem. Dabam Haderslebiæ Anno reparatæ Gratiæ 1667. *Cal. Novembr.*

Illuſtris V. Generoſ.

Humilis cliens

HERMAN GRUBE. D.

In

In honorem
Excellentiſſimi Viri
Dni. HERMANNI GRUBE
Phil. ac Med. D. Med. Haderſl. Ord.
Tractatum
de
MALO CITREO
edentis.

Plurima ſunt in Te, noſtras mulcentia chordas,
Doctorum Clariſſime GRUBI.
Grandiſoni ſeu Te trahat ignea Muſa Maronis,
Seu Lyrici Venuſina Venuſtas
Et Patera & Tenedos Tibi ſe Delosq; Clarosq;
Parnaſſusque inclinat & Hemus.
Sive juvet riguos plenis Ciceronibus amnes,
Seu fluvios devolvere Gracchi,
Illimi de fonte fluit geniale ſerenum,
Et tandi ſuaviſſimus imber
Seu caligantes Medicus ſub Tartara Manes,
Seu doceas, quæ bellua, Morbus;
Alter Amatus eris, Pollux, Fernelius, Occo,
Sennertus, Valleſius alter,
Seu Tua Pergameis conſignes otia chartis;
Ingenium doctique labores
Hîc miſcent æquale decus. Miramur acumen,
Et dulcis miracula lingvæ.
Ille labor Vatum, quem nullus meſſuit Auſter,
Heſperidum florentior hortus,
Illaque maliferæ felicia jugera Abellæ,
Jam noſtris ſociantur agellis.
Annoſas olim deduxerat Orpheüs alnos;
Ipſe Citros trahis, Orpheüs alter

Elicuit ſylvas Geticis è rupibus Orpheus,
Sylveſtrem tua plectra Charontem.
Quicquid vel manibus gaudes contingere, vernat,
Præ cedris citrus aurea fragrat.
Ergo Tibi noſtris arbor ſtatuetur in hortis
Et redolens & florida ſemper.
Procumbunt quercus Alpinæ atque innuba Laurus,
Et ſpernens mortalia Cedrus
Myrtea ſylva ſuum, tum populus Herculis alba
Frondifluum ſubmittit honorem.
Si tamen & noſtram ſalicem dignaris, & effers
Cimbriaci paſtoris avenam.
Julia teſtis erit, magnæq; umbracula Leydæ:
Piniferæque Amarillidos umbræ
Quæ quamvis veteres trans Calpen miſerit ignes,
Et trans feras baſia Gades.
Leyda tamen noſtros nondum difflavit amores,
Illa eadem ſcintillat & ardet.
Sat fuerit doctos ſi Leyda reſuſcitet æſtus.
Sat fuerit, ſi Julia flammas.
Julia ſi flagret: Non meſſor Julius illos
Nec Phyllis ſuperabit amores.

Conteſtandæ perennis obſer-
vantiæ ac amoris C.
L. M.
Transm.

Hans Georg Pellicerus. J. U, L.
Rev. Capituli Lubec. Secretar.

Præ-

Præfatio.

Fructum hìc ſiſtimus exoticum ex horto noſtro Philoſophico juxtà ac Medico, non amplo quidem verborum apparatu, uti moris eſt perorantibus: Sed ſermonis habitu, quo uti Philoſophi ſolent, ſimpliciore. Ut autem in ipſa ſtatim fronte appareat, quid ſibi velit hæc noſtra de MALO CITREO analyſis; lubet vel verbo tangere variam acceptionem ac indolem Botanices, ſed ὡς ἐν παρόδῳ & tanquam aliud agenti. Vulgo ſentiunt Botanicen ad artem tantum Medicam pertinere. Unde etiam à Philoſophantibus per injuriam derelicta Medicis ſolet committi. At in-

iqui illi rerum naturalium cenſores, qui tam anguſtis finibus includunt Botanicen; non in Criticos tantum peccant enormiter; ſed rerum ſcientiam naturalium perquam eleganti & naturæ conſultis dignâ præprimis doctrinâ orbant. Unde hæc in Phyſicis, quod dolendum eſt, aut ſolet planè omitti, aut certè frigidè ac ſobriè ſic ſatis pertractari. Pro re igitur natâ ſciendum eſt, triplicem dari Botanicam (ſcite id admonente Magno CONRINGIO) Grammaticã, Philoſophicam ac Medicam. Grammatica, quæ Criticorum eſt propria, ſollicita eſt de genuinis nominibus ac variis ſingulis plantarum ritè asſignandis. Quæ, tametſi plus ferat difficultatis, quàm utilitatis;
mul-

multum tamen in hoc argumenti genere *Tabernæmontanus*, *Fuſchius*, *Jonſtonus* & alii, quos brevitas vetat commemorari, deſudârunt. Applauſum præ aliis inſignem promeruit *Bauhinus*, ex cujus pererudito, quem Pinacem inſcripſit, libro, abundè ſuppetet rei illius ſtudioſis, unde ſupellectilem ſuam literariam poſſint locupletare, Philoſophica autem (ut levi ſaltem brachio & per ὕστερον ac πρότερον attingam ejus indolem) de ortu plantarum agit, de incremento ac varietate partium: De calido innato, de vita ac ſanitate earundem de morbis itidem; de odore, ſapore, colore & id genus aliis, quorum non condam catalogum, penitius cognoſcendis. Non enim recenſe-

re tantum illa Botanoſophi eſt accuratioris; ſed genium, ſed indolem plenius explanare. Duo requiruntur ad hanc Philoſophiam ſolidè pertractandam: Et hiſtoriam memorare plantarum, quæque in iis cernuntur admiranda; & rationes talium, niſi mentem fugiant humanam, reddere accuratiſſimas. Opifex horum egregius fuit *Theophraſtus*, Græcus ille ſcriptor nitidiſſimus, qui alterum de hiſtoria, alterum de cauſis plantarum reliquit libellum. Ad cujus exemplum *Coſtæus* perelegantem & commendabilem præprimis rerum naturalium cultoribus de universâ ſtirpium naturâ librum tradidit poſteritati. Præter hos duumviros vix laudare licet unum item

atque

atque alterum alicujus notæ, modò *Ruellium* ac *Marantam*, qui vires ſuas & ipſi ſunt in hoc argumento periclitati, exceperis. Dantur quidem, fateor, & alii, in quibus ipſe ſubtilitatum Magiſter *Scaliger* non poſtremus eſt; ſed partem tantum hujus Philoſophiæ videntur attigiſſe. Ejus ſanè notæ ſunt, quos mihi quidem legere hactenus contigit de hoc argumento, ut facilè palmam omnibus præripiat *Coſtæus* antè laudatus. Qui cum & elegans ſit, & in paucorum manibus; nullus dubito, quin gratiam initurus ſit magnam à naturalis ſcientiæ ſtudioſis (tota enim hæc Botanica eſt Phyſicorum) qui ſit operam ſuam navaturus huic denuo in lucem edendo. Hactenus patet ex

iis,

iis, quæ dicta ſunt, quid ſit Botanica Philoſophica : A qua longè diſtincta eſt Medica : Quæ quamvis non excludat modò recenſitas, cum & ipſas noviſſe Medici ſit Elegantioris : Quà talis tamen tota eſt in virtutibus plantarum Medicis, quinam ſcilicet morbi his aut illis plantarum propelli queant, exponendis. De quibus multi quidem multa : ſed ſæpe etiam vana ac ſuperſtitionis pleniſſima, quæ is demum advertit rectius, qui ſolidâ Philoſophiæ cognitione inſtructus, rerum ſcientiam naturalium cum ipſa arte conjunxerit. Magnus eſt hìc profectò delectus habendus ; cum pauci vires plantarum Medicas ex ſua tradiderint, quam in arte Medicâ ſibi parârunt,

runt, experientiâ: Plerique ex aliis, multi pæne ad verbum transſcripſerint. Hinc rari ac oppidò pauci tam accurati hìc fuerunt, ut nec hinc exceſſu, nec illinc defectu vacillârint. In tanta raritate præ reliquis ceu unum inſtar omnium punctũ videtur mereri, D. SIMONIS PAULLI, Profeſſoris quondam, jam Regii Medici longè Celeberrimi, Quadripartitum planè aureum, etiam ipſius *Hofmanni* Clariſſimi triginta annorum de officinalibus operi multò præferendum. Quod quamvis & ipſum ſapiat demorſos, quod ajunt, ungues; multa tamen continet, quæ artem ipſam percepturum jure poſſint remorari. Sed non condam hìc Botanices, cui integer

vix ſufficiet commentarius, hiſtoriam. Latius, erit, ſpero, de ea ſeges differendi in methodo mea cognoſcendi vires medicament. ſimplic. quam nunc publicè, ſi vires & vitam ſuppeditaverit Opt. Max. Deus, polliceor artis noſtræ tyronibus.

Nos in præſenti ad Botanices Philoſophicæ pariter ac Medicæ cynoſurã ſumus vocaturi perbrevem de MALO CITREO meditationem. Faxit Numen Propitium, ut hæc cedant auſpicatò & ad Nominis Divini gloriam; ad proximi verò ſalutem. His jam, procemii loco, prælibatis, ad rem ipſam oportet progrediamur.

CAP.

CAPUT PRIMUM

Continebit Analyſin Mali Citrei Botanico-Philoſophicam.

Et quidem

Articulus Primus.

Brevem exhibet hujus fructus, & arboris ejusdem delineationem.

Non uno gaudet nomine, cujus telam nunc aggredior, Malum. Aliis enim ſive à virtute, quâ pollet, Medica; ſivè à ſolo Medorum olim ipſi patrio, Medicum: Aliis ab arbore ejus Citreum: Aliis deniq;, quod Cedri foliis olim citrus putaretur *Theophraſto*, Κεδρόμηλον ſeu malum cedri (ſi latinè interpreteris) ſolet appellari. Nos, cum rebus hìc potius ſtudeamus quàm verbis; miſſis de nomine litigiis ad rem progredimur ipſam: Brevibus ſic deſcribitur *Dioſcoridi* hoc Malum: Quod ſit oblongum, rugoſum, colore aurum imitans, cum gravitate odoratum, ſe-

men habens pyri. Arbor hujus fructus dicitur Citrus, quæ recenſeri meretur in arboribus fructiferis, cum omnibus anni temporibus pomifera ſit, aliis deciduis, aliis ſubnaſcentibus, aliis adultioribus, aliis matureſcentibus. Minus procera eſt hæc arbor, ἀείφυλλος ſive comâ gaudens perpetuò virente, fructus ferens oblongiores. Convenire in multis videtur citrus cum arbore, in qua naſcuntur aurantia: *Idem enim eſt* (verba ſunt Renodæi *lib. I. ſect. VI. cap. 4. in inſtitut. Pharmac.*) *color, odor, flos, ut & folia, quorum tamen pars pedunculô proxima, non æqualis eſt, ut citriæ mali, ſed veluti pinnata & quaſi gemina.* Quod autẽ hæ & aliæ id genus arbores exoticæ comam usq; ſuam retineant virentem, ratio videtur arceſſenda (ſcitè inculcante *Coſtæo de univ. ſtirp. natur.*) cum à ſoli ac cœli diverſitate (de quibus etiam infra) tum à pingvi potiſſimum, tenaci, nec aëris injuriis facilè expoſita, in qua reſidet calidum innatum, ſubſtantia. Contra, ſi tenuis ea-

dem fuerit & aqvoſa, noxam facillimè incurrit. Pro ſubſtantiæ illius diverſitate in noſtris etiam locis licet cernere, alias plantas comam ſuam deponere citiùs: alias tardiùs; alias retinere prorſus. Perſpicuo nobis argumento eſt aizoon, quod in ipſis etiam hypocauſtis ſuſpenſum ſuum retinet virorem, quô deſtitui aliàs ſolent pedetentim plantæ à terra ceu à matre ſuâ avulſæ & alimento ſuo orbatæ. Ob eandem, quam dixi ſubſtantiam pinguem ac viſcoſam perpetuò virent arbores reſiniferæ, & quæ ſunt ſimilis naturæ. Uti arbor thuris, lentiſcus, terebinthus, Balſamus, cupreſſus, laurus, cedrus & id genus aliæ, quæ magno numero recenſentur Bellonio *in ſuis obſervat.* Sed longiorem de hac eleganti materia prohibent limites, quos huic materiæ deſtinavi, anguſtiores. Properandum itaq; eſt ad ſequentem articulum.

ARTICULUS II.

Agit de Mali Citrei loco patrio ſeu natali.

Malum Citreum ortum ſuum apud Medos olim videtur accepiſſe; unde appellatio illa, de qua dictum eſt antea, mali medici, ſuam traxiſſe originem videtur. Hinc Virgilius 2. *Georgic.*

Medea fert triſtes ſuccos tardumq; ſaporem
Felicis mali, quo non præſtantius ullum,
Pocula ſi quando ſævæ infecêre novercæ,
Auxilium dabit, & membris aget atra venena.
Flos apprimè tenax. Animas & olentia Medi
Ora fovent illo, ſenibus medicantur anhelis.

Hodie verò ingens horum malorum ubertas ex locis Hiſpaniæ, Italiæ ac Galliæ ad nos quotannis ſolet deferri. Non omnis autem his ferendis conveniens eſt, nec ——

Omnis fert omnia tellus

Ut Poëtæ *Virgil.* 1. *Georgic.* utar verbis. Loci genius eſt advertendus ratione cum ſoli tum cœli ipſius ſeu aëris. Sic cœlum amat calidius & citreum noſtrum

ſtrum & alia illa, qvæ ex locis remotioribus ad nos advehuntur, aromata. *Cuiq́ enim regioni* (verba ſunt *Levini Lemnii lib. I. cap. XVII.* de occult. nat. miracul.) *certæ herbarum ſpecies ſunt peculiares ac propriæ, ſuisq́ natalibus ſingulæ ſtirpes delectantur.* Quod quidem aptè ac ſic ſatis graphicè Poëta depingit his verbis:

Ventos & varium cœli perdiſcere morem
Cura ſit, & patrios cultus habitusq́ locorum,
Et quid quæq́ ferat regio, quid ferre recuſet,
Hìc ſegetes, illinc veniunt felicius uvæ,
Arborei fœtus alibi, atq́ injuſſa vireſcunt,
Gramina, nonne vides croceos ut Tmolus odores,
India mittit ebur, molles ſua thura Sabæi.

Hinc etiam fit, ut Alpes Belgicæ (uti probè obſervat *Levinus Lemnius loco ante citato*) omnigenas ſtirpes proferant, quæ in locis arenoſis illis ſponte emergunt nullâ curâ nullaq́; hominum induſtriâ. Pro re igitur nata cum tanta vis ſit ſoli pariter ac cœli, in propatulo eſt, quare plantæ exoticæ in hortos noſtros tranſlatæ aut prorſus non aut difficulter poſſint cicurari, aut, ſi cicu-

rentur, non æque citò, ut in locis ſuis patriis, nec ad eandem adoleſcant proceritatem, aut multum etiam remittant de priſtinis ſuis viribus. Multum autem hìc (in cicurando) confert cultura; quæ in cauſa fuit, & eſt, ut, quæ nullam admittere cicurationem viſæ ſunt, plantæ nonnullæ exoticæ; ſat probè ſedulâ aſſiduaq; culturâ fuerint cicuratæ. Longius autem petita videntur, qvæ de exoticis ad alia loca tranſlatis diſſerit Per-Illuſtris Comes *Digbæus in tractat. de pulv. ſymp.* quod ex locis ſuis patriis atomos, quoq; attrahant, quò quidem ipſo ſuæ de pulvere ſympathetico opinioni lucem videtur aliquam fœnerari: at minus vero ſimilis eſt illa ſententia; cum ex tanta locorum diſtantiâ atomi nequeant communicari; quâ de re cum longior ſim futurus, Deo ſic dante, in peculiari, quem de pulvere ſympathetico meditor, tractatu; ſatis eſt vel verbo rem illam hìc tetigiſſe. Ad rem. Hæc ipſa, de qua modò diximus, quam pro ſoli, aëris

aëris,ac culturæ diverſitate plantæ ſubeunt, mutatio, in cauſa quoq; videtur eſſe tot litium, qvæ naſci inter Botanicos ſolent; tot querelarum itidem de deſcriptionibus plantarum fallacibus. Multa etenim ſunt obvia, quæ parùm aptè, ſi noſtris conferantur, ſuo nomini ac deſcriptioni reſpondent, eoq; diverſas herbas contendunt, licet ævo noſtro idem nomen obtineant. Uti inter alios probè advertit Elegantiſſimus ſcriptor, qui & ipſe in paucorum manibus eſt, *Bartholomæus Maranta in meth. ſuâ cogn. vires med ſimplic.* Ex quibus omnibus jam abundè puto patere, quod ſoli genius in Malo Citreo aliisq; è terra naſcentibus omnino ſit attendendus, de quo quidem dicerem uberius, ſi integram hìc texerem phytologiam. Jam ſtylus eſt flectendus ad alia.

Articulus III.

Agit de differentia.

De Citreo quando agitur à nobis, vocis complexu illius aliquantò la-

tius ſumptæ etiam continetur limonium (quamvis potiores in viribus citreum καὶ' ἐξοχὴν ita dictum videatur ferre.) Solent aliàs tres recenſeri differentiæ: Limonium, Citreum καὶ' ἐξοχὴν ita dictum, & Poncerium. Limo ſeu limonium dicitur, quòd oblongâ præditum figurâ ex herbaceo colore viret, & ſucco turget acidiore, acerbiore ac frigidiore, cortice eſt admodum tenui. Proximè ad illud accedit citreum, quod colore tamen magis eſt luteo, cortice rugoſiore ac craſſiore, adeoq; ipſum etiam craſſius ac odoratius eſt malum. Poncerium, quod & citroniatum, pomum Aſſyrium, ac pomum Adami vocitatur, magnitudine ſuperat reliqua. Melonum modo orbiculatum eſt, cortice calloſo, carnoſo, pollicem interdum craſſo, & ſuperficie concolore: quibus verbis deſcripſit *Renodæus in diſpenſatorio ſuo Medico.*

Jam ad ſe nos vo-
cat

ARTI-

Articulus IV.

Qui varias Citrei partes exponet.

Pomum citrinum ex cenſu eſt eorum, quæ partibus prædita ſunt heterogeneis, hoc eſt diverſi temperamenti. Sic in Citreo ſunt cortex, ſuccus ac ſemina: in quibus ſingulis diverſa ineſt temperies. Cortices enim ac ſemina calida ſunt (gradibus autem caloris variant & ipſa) ſuccus verò frigidus. Et ita malum illud totum inſtar compoſiti eſt, in quo dantur partes & juvantes & corrigentes ſe mutuò: Quâ de re infra latior dabitur campus dicendi. Obiter tantum, antè, quam hunc locum dimittam, hìc meretur adverti locutio partium heterogenearum, cujus beneficio magnas ſæpe controverſias datur conſopire in ſcholis Botanicorum: quando rem eandem diverſi comitantur effectus. Uti patet in ſulphure, quod partium intuitu heterogenearum, ſalinarum puta ac reſinoſarum, diverſis medetur affectibus. Etenim ex ſalinis fit ſpiritus ſulphuris, qui inſigniter refrigerat, ſitim

reſtingvit vehementiorem, adeoq; mirum in modum prodeſt in morbis calidioribus. Ex reſinoſis autem conficitur Balſamus, effectus omnino exerens contrarios. Neq; non in braſſicâ, omnibus notâ, res itidem eſt manifeſtiſſima. Inſunt & huic partes heterogeneæ, aliæ nimirum in ſuperficie hærentes; aliæ intus, quæ nitri ipſius redolent naturam. Unde etiam inſignis vis medica latitat in braſſica; de qua latius hìc dicere vetat inſtituti noſtri ratio, ne extra oleam videamur vagari. Rectà igitur pergimus ad ODOREM.

ARTICULUS V.

Mali Citrei odorem, & quæ inde colligi poſſunt, qualitates primas pariter ac ſecundas enodat.

Odor ineſt corticibus (horum enim beneficio odoriferum eſt citreum) fragrans, tenacior ac mirificâ ſuavitate nares recreans olfacientium. Unde jam ſtatim licet dijudicare de mali hujus qualitatibus primis pariter ac ſecundis.

Et

Et quidem ut prius ſermonem de primis faciamus; caloris omnino index eſt inſignis fragrantia corticum. Cum odor quà talis partes arguat aërias ſive etiam, ſi à ſulphure ortum ejus derivâris cum chymicis, ſulphureas. Ad ea etiam, quæ hìc regeri poſſunt & ſolent de frigidis, quæ dantur, nonnullis, & ſuavem odorem ſpirantibus; reſponſio eſt facilis, odorem quidem, quà talem partium omninò teſtem eſſe calidarum: In rebus autem frigidis & fragrantibus tamen, particulas ſive odoriferas ſive calidas & paucas adeſſe, & in ſuperficie hærere. Hinc fit, ut odor facilè evaneſcat in talibus. Argumento nobis ſunt violæ, quæ, cum ſuavem præ ſe ferant odorem, partes qvidem continent calidas, ſed oppidò paucas, ac in ſuperficie tantum hærentes, quæ ab aqueis ſeu frigidis multis ſuperantur paraſangis: Hinc, ſi aqueæ confundantur cum aëriis, dum arctius contrectantur violæ, odor jam tum omnis evaneſcit. Quocirca nihil vetat, quo minus res aliqua

qua ſit ex cenſu rerum frigidarum, & tamen odorifera. Quatenus nimirum partes illæ odoriferæ & paucæ adſint, & in ſuperficie hæreant. Diſpar autem ratio eſt corticum noſtrorum, in quibus odor non fragrans tantum ineſt, ſed & acrior, ſed tenacior: quod præprimis eſt perſpicuum caloris indicium. Et quamvis firmius ſuppetat ex ſapore quàm odore, (cum vehiculum odoris ſit aër, ipſe autem, ante, quàm ad organum olfactus deferat, à variis rebus poſſit alterari, & ſic decipere) de his qualitatibus fundamentum: Ex odore tamen & ipſo patet, an res aliqua inſigniter ſit, an verò remiſsè calida. *Hac de re vid. Tapp. in method. medend. cap. 9.* Si mitis enim eſt odor, lenem; ſi acrior, ſi tenacior, vehementiorem arguit calorem. Pro re igitur nata, tametſi non gradus quidem ipſos, (quorum exactam doctrinam curioſam potius cenſco in ſcholis Medicorum, quàm utilem) tam accuratè liceat determinare; hoc tamen non poſſum non affir-

affirmare calorem ineſſe his corticibus ſatis manifeſtum, cum odor (ceu abundè patet ex dictis jam hactenus) inſit & fragrans ſic ſatis ac tenax. Secundas porrò corticum citrei quod concernit, quas itidem ex odore datur conjicere, qualitates; vis attenuandi pariter ac incidendi reperitur in illis, ex tenui ac volatili eorundẽ ſubſtantia nata. Odoris enim ipſius eſſentia, ut ita loquar, in tenui reſidet ac volatili; aliàs nulla fieret exhalatio; dum enim odor fit, corpuſcula migrant ex corpore odorifero. Quod tempore æſtatis ad oculum poteſt patere in locis, herbis ac floribus undiquaque odoriferis refertis. Solent enim cœlo ſereno, jam tum ſolis calore poros floſculorum magis magisq; aperiente, mirificâ odoris ſuavitate recreari prætereuntes: Contrarium verò licet perdiſcere, ſi occluſi fuerint pori à craſsâ imbris ſubſtantiâ aliquantò largius cadentis. Hinc odor, cujuscunq; ſit genii, ſive mitis ſive vehemens: Sive ſvavis ſive fætidus; index eſt

par-

partium, quæ inſunt tenuium pariter ac volatilium: Prout autem mitis eſt odor aut acrior, ita vel minor vel major partium indicatur tenuitas. Quod probè obſervat in anatome ſua camphoræ *cap. VIII.* p.m. *Mœbius*, Profeſſor quondam in inclytâ illa ad Salam Celeberrimus; qui tenuiſſimam ac oppidò volatilem camphoræ ſubſtantiam ex odore ejus admodum fragranti, quô ceu ſale veluti acri, (ut ille ibidem loquitur) nares videtur olfacientium ferire, evincit. Hinc etiam ex fragranti odore rosmarini, cujus ingens datur ubertas in locis Hiſpaniæ, nautæ referunt, ſe poſſe cognoſcere, quot circiter milliaria abſint his locis. An autem, ad ſententialem Per-Illuſtris Comitis *Digbæi*, *in tract. de pulv. ſympath.* ad 40. milliaria extendi queat odor, de eo dubitat vir naturæ Conſultiſſimus *Martinus Scoockius*, *lib. de fermentat.* & jure de eo videtur dubitandum. Ex his omnibus in proclivi eſt colligere, tenuis ac volatilis ſubſtantiæ eſſe cortices citri-

nos;

nos; quam maximè advertit Celeberrimus *Zwelferus* in reformatâ Auguſt. pharmacopœa, ubi ſirupi ex his corticibus parandi modum improbat veteribus uſitatum, quod coctione diuturnâ partes volatiles, & ſic vis medica potiſſima deperdatur; quâ de re etiam infra in capite tertio erit dicendum. Sed cum olim in illuſtri Salanâ de odore egerim, & agam, ſi Deus dederit in methodo meâ brevi lucem viſurâ publicam, uberius; non eſt, ut telam de eo longius pertexam. De reliquis Mali noſtri virtutibus medicis copia erit dicendi in analyſi altera.

Articulus VI.

Tradet ſaporis Mali Citrei & qualitatū tam primarum quàm ſecundarum inde cognoſcendarum hiſtoriam.

Sapor ratione partium variarum & ipſe eſt varius. Alius enim ineſt in corticibus; alius in ſucco; alius deniqve in ſeminibus. De quibus ſingulis ſigillatim. Acrem in corticibus reperiri ſapo-

porem, in ſucco acidum, in ſemine verò amarum, fugere non poteſt explorantes cum guſtantium linguæ manifeſtâ corticum acrimoniâ, adſtrictione ſucci, ac amarore ſeminum inſigniore afficiantur. Ex his jam facilè fit judicium de qualitatibus primis ac ſecundis. & longè qvidem, quàm ex odore, ſolidius. Corticum acrimonia caloris teſtis eſt manifeſtiſſimus; cum ex partibus igneis generetur ſapor acris, adeóque, quò quid acrius, eò propius accedat ad ignis naturam: Uti præprimis patet in ranunculo flammeo, pyrethro, piperitide, & id genus aliis acrioribus. Non ea autem his corticibus ineſt acrimonia, quæ lædat aut modum aliquem excedat. Unde jam porro gradum velut qvendam caloris (quod in ſecundo circiter gradu, ſi uti hac liceat diſtinctione, calidi ſint cortices noſtri) licet colligere. Determinare etenim, ut hoc obiter addam, ex acrimonia ſaporis majore ac minore ipſum veluti gradum caloris licet hunc in modum. Si mani-
feſtè

feſtè & ſtatim ſe ſub lingvâ prodat acrimonia, ut in corticibus noſtris, cenſeri res illa poteſt in ſecundo gradu calida: ſin moleſtiam eadem pariat guſtanti, in tertio: ſin non moleſtiam tantum, ſed & noxam, puſtulas in lingva, aut alia incommoda, in quarto: in ſingulis etiam gradibus ſuas dari manſiones, ut longiore deducam paginâ, non permittit brevitas hujus tractatus. Secundas quod concernit, quas & ipſas hìc datur cognoſcere, qualitates: ſubſtantiæ tenuitatis, uti fragrantia odoris, ita & ſaporis acrimonia index eſt, & virtutum inde natarum attenuandi pariter ac incidendi, quæ duob9 tantum differunt gradibus. Cum enim ex igneis partibus conſtet hic ſapor; Ignis autem non calefaciat tantum, ſed attenuet etiam, incidat, ſolvat, ac altius penetret: Nec his corticibus denegandæ ſunt illæ qualitates: licet remiſſius illæ cum commodo ac citra omnem noxam agant. Quod de illis, quibus exceſſus aliquis acrimoniæ ineſt, neutiquam meretur dici.

Quæ enim ſummè acria ſunt vi, cauſticâ quâdam pollent ac corrodendi: Quæ incommoda longè lateq; abſunt ab his corticibus. Ut autem caloris ac virtutis attenuandi corticum acrimonia, ita frigiditatis pariter ac virtutis adſtringendi argumentum eſt ſucci aciditas. Generatur enim illa ex defectu caloris, non probè humidum cum ſicco miſcentis: Unde etiam manat modò dicta vis adſtringendi illa, quæ maniteſtiſſimè ſe ſub lingvâ prodit guſtantium. Variat autem illa adſtrictio pro horum varietate malorum. Alia enim ſunt acido dulcia; alia aliis acidiora. In acido-dulcibus, uti mixta ineſt temperies, vis calefaciendi ſcilicet ac refrigerandi: Ita etiam, ſi ſecundas ſpectas qualitates, vis adſtringendi ac leniter attenuandi ſimul eſt admittenda. Seminum amaror inſignis calorem quoq; arguit inſignem: Calida enim amara ſunt; cum ex partium aduſtione generetur amaror. Quod autem ſecundas concernit: Non vis attenuandi tantum

tum

tum reperitur in his ſeminibus, ſed etiam conſtringendi, quod quidem commune eſt amaris, uti abſinthio, centaurio minori; & id genus aliis. Ratio videtur derivanda à mixtâ, quæ (teſte *Serapione in præfat. lib. de ſimpl. medic.*) amaris ineſt, ſubſtantiâ; partibus puta tenuibus, quibus attenuant; terreſtribus verò, quibus conſtringunt. Obiter hìc lubet attexere & tanquam aliud agenti, quod à figuris atomorum diverſis ſaporum differentiam petant Epicuræi: Sed jure merito reprehenſionem incurrunt Philoſophi, ſententiæ illius abſurditatem, cum quod viſus objectum ſit figura; tum quod figuræ, ſibi non ſint contrariæ, evincentis; quâ de re cum longior ſit Philoſophus, (*Ariſtot. lib. de ſenſ. & ſenſil. cap. 4*) ipſum potius è re erit inſpicere. Nobis non licet eſſe prolixioribus de ſapore, cum non hoc agamus. Saporem jam excipit figura hujus Mali ac color. Unde

ARTICULUS VII.

Qui figuram hujus Mali ac colorem; & num hìc etiam de qualitatibus primis ac ſecundis poſſit judicari, proponit.

Figura hujus Mali nemini non eſt manifeſta, uti & color: Oblongum enim eſt hoc Malum, rugoſum, ac aurum imitans colore, ceu expreſſum fuit in deſcriptione *Dioſcoridis* ſupra laudata. De hac figura æquè ac colore quid ſentiant Philoſophi, jam porro meretur expendi. De figura igitur pomi citrini aliter ſentiunt, qui ſunt in peripato; aliter qui extra peripatum. In peripato nulla vis creditur poſſe à figura qvà tali derivari: Cum ſanæ philoſophantium rationi maximè ſit conſentaneum, quod à formis internis, non externis vires rei alicujus ſint deducendæ: Quandoquidem figura rei exterior ad ſuperficiem; ſuperficies verò pertineat ad quantitatem: Quantitatis autem nullam eſſe efficaciam; non vero tantum ſimile, ſed & tritum ſit in ſcho-

ſcholis Philoſophorum. Extra verò peripatum philoſophantur contrà, rati, vim Mali hujus cardiacam à figura ejus externa (cordis enim figuram exactè putant referre) omnino eſſe arceſſendam. Hujus ſententiæ patronus eſt *Johannes Baptiſta*, quem multi ſeqvuntur chymicorum, & præprimis, qui bene ipſis audit, *Crollius*. Argumenti loco (non enim rationibus ſed experientiâ pugnant) adferunt hepaticam, pœoniam, pulmonariam, ariſtolochiam, & id genus alias plantas, quæ partibus, quarum referunt figuram, omnino videntur opitulari. Carthesianorum quoque punctum hæc fert opinio; qui prioribus aliquantò ſubtiliores ad atomos ſuas figuratas, unde, quicquid datur in rebus virtutum, omne cenſent derivandum, confugiunt. At verò quibus etiam cunq; authoribus ſuffulta hæc ſteterit, falſiſſima tamen eſt ſententia: Uti rationes Peripateticorum jam antè citatæ demonſtrant abundè: Nec difficile etiam eſt ictus retundere ad-

verſariorum, obſervatis ſaltem nonnullis, quas inſtar hypotheſium præmittimus, cautelis.

1. Longè aliud eſt, rem eſſe indicem virtutis intus latitantis: Aliud virtutem ab illa re ceu à cauſa derivandam.

2. Alia eſt ſignatura rei imaginaria, alia vera ac legitima.

3. Alia eſt collectio univerſalis, alia particularis.

4. Aliud eſt ex veris arguere principiis, aliud ex falsò ſuppoſitis.

His præmiſſis hypotheſibus, facilis erit ſolutus hic nodus. Quod ſignaturā concernit, qvam Malum Citreum dicunt exactè exprimere, Cordis; imaginaria potius eſt qvam vera ſignatura. Quales multæ ſunt anxiè & citra cauſam efficta à *Crollio* in inepto ſuo, (ceu *Magnus Conringius* appellat *in lib. de Hermetic. Medicin.*) de rerum ſignaturis libello. Deinde etiam fac Malum Citreum exactè referre cordis figuram; nondum tamen datur copia colligendi, à figurâ illâ quâ tali vim Mali hujus

car-

cardiacam eſſe petendam ; cum fieri ex accidenti qveat, ut res aliqva partis, cui medetur, referat figuram. Quæ de pœoniâ, de hepatica & aliis ejusdem generis adferuntur, debili admodum ſtant talo: Cùm quod ab uno item atq; altero non collectio ſtatim detur univerſalis: Quandoquidem non omnia partibus illis, quarum exprimunt figuram, medeantur: Tum quod in allatis exemplis ſeu plantis dotes poſitæ ſint interiores, à quibus vim illam ſpecificam licet commodiſſimè deducere. Sic in pœonia, cujus antè facta eſt mentio, vis ineſt calefaciendi nec non attenuandi ac incidendi pituitam craſſam; atque adeò obſtructiones reſerandi. Quod cerebro igitur proſit, ſat commodè poteſt à modò dictis virtutibus derivari; cum à craſſa ac viſcida illa pituita ortum ſuum trahant ut plurimum cerebri affectus. Accedit deniq;, quod non uni tantum parti, ſed pluribus ſimul proſint modò dicta ſpecifica: Uti de his longè aliter, quàm veteres, hodie

ſentiunt recentiores; & jure videatur ſentiendum. Sic, de qua jam dictum eſt, pœonia, quæ cephalica cenſetur, & cujus flos apertus cerebri & meningum ejus cum venulis, perbellè exprimit figuram; non in cerebri tantum, ſed omnibus ferme affectibus, in quibus pituita peccat, haut exiguum pollicetur fructum. Par quoq; ratio ariſtolochiæ, quæ, qvamvis cenſeatur uterina; & referre etiam credatur uteri figuram; magnæ tamen virtutis ac tam præſtans eſt in morbis pectoris, ut aſthmate, tuſſi & aliis ejuſdem farinæ remedium, ut dubites, utrum potiori jure in his quàm uteri morbis queas commendare. Cartheſiani autem, qui ſuum in atomis figuratis quærunt refugium, non ex veris ſed falsò præſuppoſitis arguunt principiis. Poſtremo ſi quis in cauſa juſtâ paululum cederet de jure, ſi largiretur omnia mederi partibus illis, quarum referunt figuram, (falſiſſimum autem hoc eſſe, jam antè eſt demonſtratum) nondum tamen neceſſe eſt, ut porrigamus herbam

herbam; cum neutiquam queat colligi hunc in modum: Res illa indicat virtutem latitantem, Ergo virtus à re indicante quâtali eſt tanquam cauſa arceſſenda; cum cauſam eſſe & eſſe ſignum, toto differant cœlo. Ex dictis integrũ eſt cognoſcere, vires Mali Citrei non eſſe ab ejus figurâ petendas; cum aliæ inſint qualitates, unde vires medicæ, de quibus poſtea erit locus dicendi, commodiſſimè poſſint deduci. Paucis nunc, quid de colore philoſophentur, eſt addendum. Color hujus Mali cum flavus ſit, vim corticum Mali hujus anteictericam ex eo putat arceſſendam antè laudatus *Johannes Baptiſta Porta in lib. de Pythognom*, Cum bili & ductui ejus obſtructo ortum ſuum debeat, hic morbus. Sed nulli fundamento innititur hæc opinio; cum non omnia, quæ bili medentur, flava ſint; nec flava etiam omnia bili aut morbis inde natis medeantur. Hactenus placuit de Malo medico philoſophari. Jam Medica ejus conſideratio eſt aggredienda.

CA-

CAPUT II.

Analyſin MALI CITREI Botanico-Medicam, hoc eſt: virtutes ejus Medicas proponit. Et quidem

Articulus Primus.

Pertractat corticum virtutes.

Partes Mali Citrei cum variæ ſint, in examine quoq; virium oportet ad ſingulas attendamus. Quare in hoc articulo ſunt vires corticum eximiæ nobis ſub incudem vocandæ. Variæ autem ſunt, quibus ſe cortices commendant, virtutes. Et primò quidem CARMINATIVA ſeu flatus diſcutiendi virtus nata ex tenui horum ſubſtantia jam in prioribus expoſita. Hinc in exquiſito illo & ſic dicto a parte affectâ colico dolore, ſi a flatibus oriatur, medicamina ex corticum horum flavedine mirificum pollicentur fructum. Unde eadem baſeos vicem ſolet ut plurimum cùm in aquis tum in pulveribus anticolicis ſu-

ſtine-

ſtinere. Soli cortices pulveriſati, (tam etſi, non alia in ſocietatem adſciſcuntur medicamina) aut olei inde deſtillati una item aut altera guttula utramq; faciunt in colicâ paſſione paginam. Si laudare hìc fas eſt meam qualemcunq; experientiam, magna memini præſtitiſſe me olim in Inclytâ illâ ad Salam unâ item atq; alterâ olei ex his corticibꝰ deſtillati guttulâ, in ſtudioſo quodam miſerè hoc malô afflicto, qui fruſtra tentatis variis medicamentis, modò dictis unâ item atq; alterâ olei Citrini guttulis a me præſcriptis, cum admiratione adſtantium ſibi ipſi redditus eſt feliciter. Idem etiam eventus in aliis, quos nunc ſilentio prætereo, toties reſpondit; ut vix dari exiſtimem aliquod medicamen, quod huic in tali quidem caſu palmam queat præripere. Ineſt etiam præterea his corticibus virtus ANTIHYPOCHONDRIACA; Fructum promittunt in hoc morbo cortices noſtri planè inſignem, cum variis ſatis faciant indicationibus, & quæ

hunc

hunc comitari ſolent, ſymptomatibus Solet ingens flatuum caterva comitari, quibus pellendis hos inſervire mirificè, ex modò dictis poteſt patere: Nec deſunt in hypochondriacis nonnullis, in quibus hic morbus altius egit radices, cordis palpitationes; quibus & ipſis vi diſcutiendi vapores, quibus in tali affectu ortum ſuum plerumq; debet cordis ille motus præternaturalis, mirificam faciunt medelam. Viſceribus quoq; ipſis, quorum in chronicis, ne quam diuturnitate labem contrahant, ratio eſt accuratiſſima habenda, ſuum addunt robur. Cauſæ deniq; ipſi (quod primarium eſt, & in quo cardo vertitur totius curationis) tollendæ, obſtructionibus nimirum in ductibus illis pancreaticis reſerandis medentur mirum in modum. Quocirca non poſſum non commendare hìc elixir Citr Cordiale *Rolfincii* in chimiâ in artis formam redacta *lib.* 4. *ſect.* 2. *cap.* 4. deſcriptum, quod itidem egregiè ſatisfacit modò recenſitis ſymptomatibus; cum ambra,

bra, moſchus, aqua item ſcorzoneræ, quæ præter corticum Citreorum flavedinem ingrediuntur, ſuum conferant ſymbolum ad vires cordis, quæ tali in caſu graviter laborant, mirum in modum reficiendas. Magno hìc quoq; uſui videntur aquæ ex his corticibus deſtillatæ, carminativæ tam ſimplices quam compoſitæ, quarum uſus aliàs in paſſione colicâ eſt freqvens. Cum autem de his aquis & earundem præparatione in capite ultimo ſim dicturus; non eſt ut hìc ſim de iis prolixior. Quanta vis ſit hujus medicaminis citrini in obſtructionibus hypochondriacis, in me ipſo didici experiri. Ante annos circiter undecim cum viverem im Illuſtri Julia, erã nõ immunis ab his obſtructionibus: Sed Divino Numine Propitio, præmiſſa venæſectione ac leniore purgante ſemel atque iterum repetito, vel ſolo uſu medicaminum ex his corticibus paratorum mihi ſum ipſi feliciter redditus. Nec ſilentio præterea involvenda eſt vis ANTISCORBUTICA,

quæ

quæ & ipſa commendat cortices no- ſtros. Præter alias enim dotes eximias antè memoratas quibus & ipſis ſymptomatibus ſcorbuti variis aliqvod levamen poſſunt adferre; vim quoq; obtinent diureticam, qvæ non parum prodeſſe ſcorbuticis poteſt. Cum enim ſero abundent ſalſo ac acri, fit ſanè, ut, dum largius mittunt urinam, multum materiæ morbificæ evacuetur. Majore tamen cum fructu in ſcorbuto totum adhiberi Citreum, non poſſum non affirmare: Partes enim, qvæ inſunt, heterogeneæ ſi conjungantur; alia aliam corrigit; alia aliam juvat; ſingulis cum inſit, qvæ ire ſcorbuto liceat obviam. In corticibus nimirum vis aperiendi ac viſcera corroborandi; in ſucco humorum acrimoniam mitigandi ac fermentationem conſopiendi: In ſeminibus vis diuretica pariter ac diaphoretica, qvæ utraq; eſt oppidò in ſcorbuto proficua. His igitur ſe juvant mutuò, ſed corrigunt etiam. Corticum enim ac ſeminium calorem corrigit ſucci frigiditas, &

vice

vice verſâ. Quocirca commendatiſſima ſunt ex toto citreo medicamina in ſcorbuto, in qvocunq; corpore reperiatur, qvoniam ſi junctis viribus agant omnes Mali Citrei partes, felicius extirpant Contagium illud ſcorbuticum: Præprimis autem in corpore bilioſo, in qvo uſus calidorum ſuſpectus eſt. Non citra cauſam igitur tantopere celebratur in ſcorbuto totum Citreum Magno *Conringio in diſput. de ſcorbut.* Cum qvo etiam facit Inſignis ille Practicus *Timæus* von Güldenklee / *in fin. caſ. Practicor.* Cui in ſcorbuto in uſu frequentiore fuit totum Citreum. Documento ejus rei eſt electuarium ipſius antiſcorbuticum, cujus compoſitionem totum ingreditur citreum, de quo etiam infra. In harum, quas de his corticibus deprædicavimus, virtutum ſocietatem ſe offert qvoq; vis STOMACHICA. Calore enim ſuo intemperiem ventriculi frigidam corrigunt; & ſi qvi a cruditatibus geniti ſunt, flatus diſcutiunt. Unde etiam varia inde medicamina debilitati ventricu-

triculi inſervientia proſtant in pharmacopoliis, qvorum unum item & alterum in capite ultimo haut abs re erit recitare. De virtute corticum Citreorum CARDIACA res adeò plana eſt ac in vulgus nota, ut in virium languore, ſi nihil aliud ſit ad manus, carpis ægrotantium hos ipſos nec citra fructum applicent matresfamilias. Gratâ enim ſuâ temperie & odoris fragantiâ non parum recreant ſpiritus vitales. Idcirco locum merentur inter cardiaca propriè dicta. Quod de reliqvis Mali hujus partibus, ceu poſtea tangemus, non poteſt affirmari. Agmen hìc claudat vis ANTIFEBRILIS. Punctum enim merentur Doctorum cortices noſtri non tam in malignis febribus aut continuis qvàm potius in intermittentibus. Intermittentes enim omnes cum ortum ſuum trahant â pituitâ ductus pancreaticos obſtruente; ac pro minore aut majore copiâ; aut prout magis eſt vel minus viſcida, modò qvotidianam, modò tertianam, modò qvartanam producen-

ducente: Sicuti de his febribus & ſentit & loquitur, multò aliter qvàm veteres Incomparabilis *Franciſcus de le Boë Sylvius* Medicus ac Profeſſor Lugduno-Batavus longè Celeberrimus, Præceptor meus ſummè Venerandꝰ (*in epitom. praxeos Med:*) calidis potius qvàm frigidis videntur expugnandæ. Quæ calidæ tamen & ipſa pro majore aut minore copiâ bilis (non unus enim hìc, ſed plures interdum peccant humores) ſuum conferentis ſymbolum ad fomitem illum febrilem; Frigidioribus oportet temperentur. Quinam autem humores in vitio ſint præter pituitam ceu cauſam primariam; perdiſcere plenius poterit artem ipſam faciens ex variis ſymptomatibus. Pro re igitur natâ ſæpe numero guttulæ aliqvot miſturæ ſimplicis aut eſſentiæ centaurii minoris abſinthii aut elixir Proprietatis Paracelſi, aut ſpiritus alicujus ex herbis ſale volatili abundantibus deſtillati in tempore in convenienti vehiculo ſumptæ plus præſtant in hujus modi febribus, quàm ju-

lebi refrigerantes magnâ doſi propinati: Qui tamen & ipſi, diverſis expenſis circumſtantiis non rejiciendi ſunt prorſus in febribus. Sed qvò provehor! non enim integram hìc febrium condá, aut earum curationis hiſtoriam. Prolixius fortean, Deo & vires & vitam ſuggerente, erit differendi locus, ſi publicæ olim luci edidero, qvos in arte noſtra obſervavi, & obſervo etiamnum, caſus. Sed regredior in viam, à qvâ paululum videor digreſſus. Dicturus enim eram de mirifico corticum noſtrorum in febribus fructu, & præprimis in qvartanis; ſi eſſentia ex his corticib⁹ cum ſpiritu vini parata propinetur vel in Aqvâ petroſelini, Meliſſæ, Pulegii, aut ſeqventi, cujus fructum non ſemel ſum edoctus.

p. 67.

℞. Aq. Fumar. Unc. 3.
Meliſſ. Unc. 1. ß.
Cinam: cum fl. Borrag. diſtill. Dr. 6.
Sic: de pom dulc. Unc. ß. M. f. S.
Ein Wäſſerlein zur Citronen Eſſentien.

Erit

Erit etiam in talibus oppidò proficuum, qvod ſupra commendavi in morbo hypochondriaco, elixir citr: cordiale *Rolfincii*; qvod non obſtructiones tantum reſerat; ſed & vires, qvarum ratio habenda omnino eſt in febribus diuturnis, inſigniter inſtaurat. Et verò tutior erit in qvartanis horum aperientum ac, ſi è re videatur, circumſtantiis perpenſis enematum uſus, qvam purgantium validiorum. Probè notanda ſunt, & ἀκρίβειαν videntur redolere, qvæ ſcitè hanc in rem diſſerit *Crato* trium Medicus Imperatorum. *Conſil. Medicinal.* 18. Cum *hic*, inqvit *morbus longus ſit, & concoctio tarda, nihil aliud eſt intempeſtivè in hoc morbo purgare; quàm vires ventriculi imminuere, humores turbare, ex craſſis craſſiores, & ex longo longiorem efficere.* Interdum clyſter aliqvis acrior (ceu teſtis eſt *Chriſtianus Langius* Medicus olim ac Profeſſor Lipſienſium Celeberrimus *in miſcell. Curios. Med cap. XI.*)

qvartanam inveteratã, qvam tot medicamina neſciverunt tollere, feliciſſimè ſuſtulit. Nec non unicum ſale volatili abundans & in tempore adhibitum medicamen plus interdum profuit in qvartanis; qvàm vel ſirupus ex Borragine aut bugloſſa magna doſi, aut ſal corall: (qvod magiſterii potius, qvàm ſalis nomine venit ſalutandũ: *de corall. vid. Angel. Salam aphor. chimiatr.* 40.) aut alia ejuſdem farinæ vel vicies aut ultra propinata. Nec verò à calidis illis antè laudatis tantum videtur periculi, qvod nonnulli veterum minantur, metuendum. Cum cauſâ nimirum obſtructione ſublatâ tolli etiã ſoleat effectus. Sed inſerere tantum hæc placuit obiter: Prolixior forem, ſi hoc agerem. Hæ ſunt virtutes corticum citrinorum (ſufficiat enim hìc recenſuiſſe præcipuas) ſi qvæ præterea dantur; ex virtute horum aperiente ceu fonte omnes promanant.

ARTI-

Articulus II. Capitis II.

Succi virtutes Citrini explanabit.

In ſucci hujus examine pari ratione,ut in corticum; ad varias ejus vires oportet advertamus. Et ut corticum laudes celebrantur in febribus intermittentibus: Ita ſuam meretur commendationem ſuccus in *continuis & in ipſo etiam cauſo*. Cum enim acidus ſit hic ſuccus, bilis acrimoniam, qvæ in his febribus enormiter peccat, mirum in modum refrænat. Unde & in ſiti febricitantium, qvæ valide fauces tenet, reſtinguendâ; aut ad hunc ſuccum,aut medicamina inde parata, ceu ad ſacrá, qvod ajunt, anchoram ſolemus confugere. Et qvamvis hic ſuccus, ſi qvidem uſus ejus protrahatur ad multos dies, lædere ventriculum admodum poſſit; corrigere tamen id novit compoſitio à prudenti Medico inſtituta. Quin etiam, ſi qvid læderet fortean (vix enim generoſum datur medicamen, qvod non ſuum vehat incommodum) aliis jam tum corroborantibus jactura illa pote-

rit reſarciri. Cum autem febres continuæ ſint interdum malignæ: Hìc venit qvæſtio, an etiam his medeatur ſuccus noſter: Ad qvod regerimus omnino. Hinc celebris eſt hic ſuccus ac medicamina inde confecta tam IN PESTE, qvàm FEBRIBUS MALIGNIS. Cum veneni ipſius indoles ac malignitatis reſideat (uti accurratè docent Medici recentiores *FRANC de le BOE SYLVIUS in Prælect. de peſte public. SIMON PAULLI. in Digreſſ. de Febr. Malignis.*) in ſale volatili acri: Illud autem qveat, inſigni, qvæ ſucco Citrino ineſt, aciditate aut figi prorſus, aut certè corrigi. Nec mirum etiam eſt, qvod ſucci hujus aciditas huic fermentationi, in qva alii harum naturam febrium qværunt, fræna qvaſi injiciat: Cum uſu edoceamur qvotidiano, in aliis etiam acidis, & qvidē aceto noſtro vulgari, vim poſitam eſſe ictus venenorum retundendi. Ubi in memoriam redit, qvod non citra gratiam Incomparabilis *Franciſcus de le Boë Sylvius* in noſocomio Lugdu-

Lugduno-Batavo ſolebat memorare ſ tempore ſe olim peſtis Amſtelodamenſis, contagii illius averrucandi gratia, ſingulis diebus acetum inſigni cum cõmodo ad cochlearis integri qvantitatem ſumpſiſſe: Quod aliis etiam ceſſit feliciter, niſi abundârint ſucco illo acido pancreatico; qvibus tantum abeſt, ut proſit, ut ſummè potius ſit noxius aceti uſus (*de ſucc. pancreatic. vid.* Regner deGraff *in tractat. de ſucc. pancreatic.*) Neq; non in aliis rebus vulgo notis, ut ſale communi ac nitro cum ſulphure præparato vis cernitur eadem figendi à manifeſtiſſimis orta qvalitatibus. Prioris vim ipſæ nôrunt matresfamilias, qvæ lacti aut alii rei ebullienti nimis, ſalis pauxillum adiiciunt: Unde ſubſidere ſtatim ſolet illa ebullitio: Poſterioris egregium ſpecimen *Nobiliſſimus SIMON PAULLI* Profeſſor ac Medicus Regius longè Celeberrimus, *in Digreſſ. de Febr. Malignis.* tradit edidiſſe ſe in monetarii famulo, cui ex uſu vini aduſti nimio ipſa prodiit ex ore

flamma; qvam inſtar incantamenti ſopivit nitrum cum ſulphure præparatum ex præſcripto modò laudati *Dni. D. SIMONIS PAULLI.* Non eſt igitur ut in talibus ad qvalitates occultas ceu ipſum ignorantiæ aſylum confugiamus. Quid enim opus eſt latebras qværere, ubi ambulare datur in apertâ luce. His igitur morbis malignis cum medeatur ſuccus citrinus: Vis ipſi qvidem ineſt alexipharmaca, non ſenſu qvidem veterum, qvibus alexipharmaca qvà talia occultis agere dicuntur qvalitatibus; Sed ſenſu potius recentiorum: Cum ex dictis, qvare venenis proſit hic ſuccus, abundè qveat ratio ſuppetere. Porro uti in corticibus, ita & in ſucco vis CARDIACA videtur admittenda, Sed diverſiſſimâ ratione. Cum enim variis modis (ſcitè ac per eleganter docente *Primeroſio de error. vulgi.*) res aliqva dicatur cardiaca: Vel qvatenus malignum à corde ad ambitum corporis expellat: (qvo ſenſu ipſa etiam theriaca ponenda eſt in cenſu cardiacorum)

Vel

Vel qvatenus gratâ temperie aut mirificâ ſuavitate odoris ſpiritus recreet vitales; qvò ſpectant roſæ, violæ, flor. Bugolſſæ ac Borraginis, ipſi etiam cortices citrini & alia id genus, qvæ propriè & κατ' ἐξοχὴν audiunt cardiaca: Vel qvatenus deniq; calorem præternaturalem corrigat, aut vim ſangvinis ebullientem nimis refutet. Non alio ſenſu in cardiacis numeramus hunc ſuccum; qvàm quod partim efferveſcentiam illam præternaturalem corrigat; partim vim malignitatis ipſam, & cordi præprimis moleſtam, vi, quâ pollet, adſtringendi retundat. Præterea in VERMIBUS expellendis præſtans remedium eſt aut ſuccus citrei aut limonũ, jam tum trahendus in uſum, ſi febris comitetur vermes. qvæ febres dictæ verminoſæ infantes ſæpe corripiunt ac pueros, (ceu pluribus tradit *Riverius cent.* 1. *obſerv.* XVI.) amara enim jam tum, quæ magno aliàs ſunt uſui in vermibus, ſuſpecta ſunt omnino, niſi aliis temperentur

 frigi-

frigidis. Uti id præ cæteris inculcat *Crato a Kraftheim* trium Medicus Imperatorum *Conſil. Med.* XIII. Succo deniq; huic cum vis inſit incidendi ac attenuandi craſſos humores, diſſolvere ac comminuere CALCULUM poteſt. *Eadem enim ejus operatio eſt intra corpꝰ humanum, quàm extra in diſſolvendis gemmis unionibus ac corallis* inquit Quercetanus. Neq; verò & hìc videtur negandum (quod expoſitum itidem jam antè de ſcorbuto fuit) egregium in nephritide fructum polliceri citreum totum, cum ſingulis inſit partibus, quô ire ſuppetias huic Malo queant. Hinc *Wolffg. Gabelkoverus*, ante *Unzerum*, (*lib. 2 de nephritid.*) *pro arenulis*, inquit, *promovendis probantur Mala Citrea in taleolas diſſecta & ſaccharo conſperſa; manè jejuno ſtomacho comeſta.* Et ſic etiam vires ſucci citrini ſunt expoſitæ.

ARTICULUS III. CAP. II.

Seminum virtutes MALI CITREI indagat.

Seminum virtutes, cum coincidant

ferme

ferme cum iis, quæ dicta hactenus ſunt de reliquarum Mali Citrei partium viribus, multo erimus in iis; quàm in prioribus, breviores. Equidē cum & his inſit vis diaphoretica; vis quoq; eorundē *alexipharmaca*, paſſim Medicis decantata, eſſe haut poteſt obſcura; Uſus idcirco illorum in peſte aliisq; morbis malignis cum ſeminibus cardui benedicti, napi, aquilegiæ & id genus ſimilibus haut inconveniens eſt in emulſionibus. *Vis diuretica*, quam de corticibus & ſucco deprædicavimus, his ſeminibus non eſt deneganda. Amara enim ſunt hæc ſemina. Amara autem (ceu obiter innui in prioribus) non terreſtres tantum, ſed & tenues obtinet partes. Vi partium tenuium virtute pollent diureticâ non hæc tantū ſemina; ſed & alia amara, uti Abſinthium, Centaurium min9, Cichorium, & alia ejuſdem generis. Idem facit amaror, ut in cenſu habeantur medicaminum VERMES extinguentium hæc ſemina. Hinc pulveres ingrediuntur contra vermes: Ut abundè conſtat

ex

ex *Cratone*, *Sennerto*, *Riverio* & aliis *Medicis* Inſignioribus. Sit ſequens *Cratonis* unus inſtar omnium. *Conſil. Medic.* 13.

℞. Coriandr. præpar. Unc. ß.
Sem. Portulac.
Citr.
Limon. an. Dr. 2.
Zedoar. Dr. 1.
C. C. uſti Unc. 1.
M. f. l. a. pulvis.

Ex quo ſumi ad drachmam dimidiam poteſt. Alia non addo de ſemine, ſed progredior ad Articulū ſequentem.

ARTICULUS IV. CAPITIS II.

Agit de virtute alexipharmaca totius Citrei & num paſſim medicis decantatis lapidibus pretioſis ac ipſi etiam Bezoar ſit præferendum.

In ſingulis partibus (ceu oſtenſum eſt) quamvis ſit poſita vis peſtiferos venenorum ictus retundendi: Diffiteri tamen non licet, fructum poſſe uberiorem à citreo toto expectari. Equidem cum ad duas claſſes ſat commodè, me quidem cenſente, referri queant alexi-

pharma-

pharmaca; ita ut vel fermentationẽ ſopiendo; aut vapores malignos ad exteriorem corporis circumferentiam expellendo obviam eant venenis: Toti inſunt Citreo, quæ utriq; faciunt ſatis: In aliis quidem partibus vis eſt diaphoreſin promovendi; in aliis ſal ſui generis volatile acre mirificè figendi. Hinc etiam cæpit uſus Citrei totius maximè in officinis celebrari; & in medicamentis cenſeri Bezoarticis. Nota eſt, quæ memoratur paſſim Medicis ex *Athenæo*, hiſtoria duorum facinoroſorum, qui aſpidum morſibus pro more Ægyptiis recepto damnati, & ad ſupplicium deducti obviam in viâ habuerunt fœminam, quæ ſortem illorum miſerata, Malum Citreum obtulit utriq;. Quod, cum comederint, immunes eos præſtitit, & ab omni noxa illæſos. Rei miratus novitatem judex, inquiri in cauſam juſſit. Quam cum nulli alii rei cognôrit niſi Mali hujus eſui adſcribendam, poſterâ luce, ut certior fieret de hujus virtute, iterum juſſit eos ad ſuppliciũ

plicium duci, & alteri tantum Malum Citreum dari; alteri non item. Qui totum comedit Citreum, extra omnem fuit noxam: Alter verò illatò aſpidum morſu confeſtim interiit veneno. Ex his cernere affatim licet eximias Citrei totius virtutes; & tamen, quicquid præſtat, non aliis quàm primis ac ſecundis exequitur qualitatibus. Nec eſt qvod ſcrupulum nobis objiciant res aliæ iiſdem primis ac ſecundis qualitatibus præditæ, non eadem tamen efficientes. Cum diverſimodè agant hæ qualitates pro ſubjectis diverſis: Ita ut alia ſubſtantiæ tenuitate aut craſſitie lædant: Alia iiſdem immane quantum proſint. Non enim gradus tantum hìc (alia quippe magis alia minus incidunt aut incraſſant) ſed tota etiam advertenda eſt craſis, quæ nihil aliud quam complexio ſeu unio ſive quatuor qualitatū primarum ſive atomorum elementarium, ſive etiam ſalinarum ſulphurearum, mercurialium: Hæc enim ſub incudē vocare non eſt hujus loci. Prout autem illæ ſive qvalitates

tates ſive atomi aliter in hoc vel illo ſub jecto concurrant: Ita etiã vel fortius vel miti⁹ agunt vel cum vel citra noxã. qvod demonſtrare quodammodo licet variis odorum ac ſaporum ſpeciebus, quæ tot quidem ſunt, quot modi dantur mixtionum; Qui cum pæne ſint (teſte *Theophraſto lib. 6. de caus. plant.*) innumeri ipſi odores æquè ac ſapores oportet ſint hujus modi. In ſingulis enim odoratis ſuus ineſt odor, uti in ſapidis ſuus ſapor. Tametſi quidem certæ dentur claſſes, qvarum intuitu hæc acris, illa mitis, hæc grati, illa ingrati dicantur odoris. Hæc itidem dulcis, illa amari; hæc ſalſi, illa alterius ſaporis: In ipſis tamen acribus & cæteris enarratis ob concurſum ſive qvalitatum ſive atomorum diverſiſſimũ quo ad ſingula ingens datur cum odoris tum ſaporis differentia, unde effectuum naſcitur diverſitas, ſed ſano ſenſu intellecta. Ut autem, quæ dicta obſcurius ſunt, plenius pateant; lubet adferre exempla. In Angelica pariter ac naſturtio ineſt in utroq; odor

juxta

juxtà ac ſapor acrior, & ſic vis attenuandi itidem in utroq;; ut ut gradibus diſtincta. At verò vis attenuandi eadem ob totam temperiem ſeu diverſum reliqvarum qvalitatum in diverſis comitatum aliter agit in angelica, aliter in naſturtio. Naſturtium hujus beneficio virtutis attenuandi non ſudorem tantum elicit; ſed, quod ſale etiam abundet volatili, contagium illud ſcorbuticum extirpat. Quod quidem ipſa etiam arguit odoris proprietas, quæ ſale velut acri nares olfacientium videtur ferire. In angelicâ verò non vis tantum reperitur ſudorem movendi; Sed & grata ſuâ temperie cor ipſũ recreandi. Quod vel cuivis, cui quidem cum ſenſibus rectè conveniat, in aprico eſt ex odore ejus ſingulari ac aromatico. Quávis non affirmârim hìc cum *Cardano*, (adverſus quem acriter & jure diſputat Subtiliſſimus *Scaliger Libro de ſubtil. contra Card.*) ſuaveolentia omnia ſalutaria: Fœtida verò noxia. Cum teſtis ſit optima rerum Magiſtra ex-
pe-

experientia, ſuaveolentibus lædi non nullos mirum in modum: Fœtidis contrà recreari. Attendenda enim eſt diverſa agentis ac patientis temperies: Hinc fit, ut ab optimè fragrantibus (obiter nunc tangam id, qvod integrum meretur commentarium) ut moſcho, ambra, roſis & id genus ſimilibus nonnullæ lædantur mulierum, biliosæ nimirum & partibus jam aliàs volatilibus abundantes nimis, in quibus particulæ illæ odoriferæ ſeu volatiles (teſte *Higmoro de hyſter Paſſion. cap.* 6.) ſangvini ac ſpiritus admiſtæ fermentationem & alia incommoda ac ſymptomata graviora poſſunt conciliare: Fœtida contrà his malis mederi. Quamvis enim & ipſa partibus haut deſtituantur volatilibus: Ipſis tamen ſulphur inhæret velut narcoticum, cujus virtute fermentationem in ſangvine obortam commodiſſimè liceat ſopire. Hujus ſanè intuitu temperiei, ſi ad hunc vel illum inſtituatur collatio, etiam ipſa, quæ huic animalium generi cenſentur venena; illi cedunt in
 alimen-

alimentũ. Sed cum non integrũ hìc tradã alexipharmacorum commentariũ,& longior etiam de eâdem re ſit CL. *Hofmannus*, (*de reject an: Pathologic.*) Imò ipſi olim fuſius in Inclyta Salanâ diſſeruerimus, (*in diſput. noſtr. de vulgo dictis qualitatibus occultis.*) non addã verbum. Ex jam commemoratis Citrei totius virtutibus planè eximiis dijudicatu eſt facillimũ, Citreum noſtrum præprimis ſi totum veniat in uſum, lapidibus illis pretioſis & ipſi etiam Bezoar multis ſanè partibus præferendum. Non dicam hìc de Bezoar (ejus enim hiſtoriam texere non noſtri eſt inſtituti) qvod adulterinus ut plurimum ſit, & inter centeſimum quemq; etiam in iis, unde ad nos defertur, locis vix genuinus detur aliqvis aut bonæ notæ, ipſo ſic teſte *Manarde*, in Tract. de Bezoar & ſcorz. Sed virtutes tantum Bezoar & reliquorum lapidum pretioſorum hìc lubet in dubium vocare. Vis enim horum cardiaca, *Bauhino*, (in Tract. de Bezoar,) *Riverio*,

Deu-

Deuſingio(*in Tract. de Bezoar.*)&aliis Practicis tantopere celebrata unde ſit arceſſenda; aut arceſſi ſat commodè queat, non video: Cum ſint ſaporis omnis pariter ac odoris, in qvibus vis medica potiſſima (ſcitè id monente MAGNO CONRINGIO *de Herm. Med.*) quærenda eſt, expertes. Virtus autem illorum diaphoretica, in quâ horum Patroni lapidum, vim alexipharmacam qværunt potiſſimum; dudum fuit ſuſpecta Inſignibus Medicis, *Herculi Saxoniæ*, *Unzero*, SIMONI PAULLI & quem magni æſtimo, Accuratiſſimo *Primeroſio*. Ad qvorum authoritates illuſtres ipſa accedit ratio. Vis enim diaphoretica aut ſubſtantiæ tenuitati debetur, cujus vel odor aut ſapor ſive amarus ſive acris index eſt; aut ſali; præprimis autem volatili. Sed neutrum datur in his lapidibus. Subſtantiæ enim tenuitatem hìc planè exulare, argumento ſunt modò dicta, quod nimirum, odore prorſus omni ac ſapore deſtituantur. Salis quoq; nulla adſunt veſtigia; cum nec

fixum nec volatile ullâ arte chymicorũ elicitum ſit, aut elici potuerit unquam. qvicquid igitur præſtant vel Bezoar aut reliqvi lapidis pretioſi, id figendo id præcipitando præſtant. Quocirca non citra fructum quidem adhiberi in morbis malignis poſſunt. Sed eundem imò ſæpius uberiorem poſſe fructum obtineri a vilioris pretii pharmacis, ut Cornu cervi philoſophicè præparato, aut pulvere ex teſtis concharum aut cochlearum ritè concinnato aut aliis ejuſdem farinæ, non ſum iturus inficias. Et tantum de Mali hujus virtutibus medicis. Colophoné tenui huic labori imponat.

Cap. III.

Qvod aget de præparatione ſeu de medicamentis qvæ ex Malo Citreo poſſunt parari, nonnullis.

Articulus I. Cap. III.

Quæ ex corticibus parantur, proponit.

Actum hactenꝰ eſt de citrei ejusq; partium virtutibus eximiis; Jam ſupereſt, ut paucis, quæ inde parari medicamina queant, tangamus. Quippe

cirre-

citreum, ut ut ſalutare remedium eſt, ac plane Divinum: Ingentem tamen noxam adferre ventriculo poteſt, ſi nudè citra omnem præparationem ſumatur. Non enim albedo tantum corticum, quæ corii inſtar eſt, ac admodum difficilis concoctu; ſed ſuccus etiam ac ſemina immane quantũ ventriculo obesſent, ſi nullam ſubirent præparationem, Tametſi quidem (ceu ipſe non ſemel innui in prioribus) medicamenti inſtar eſt compoſiti citreum totum, imò inſtar theriacæ alicujus fructum præſtantis uberiorem, quàm nonnullorum compoſitiones medicaminum juſtò longiores, in quibus tanta non rarò conſpicitur ingredientium farrago, ut neutiquam rationes ſingulorum liceat reddere. QVOD exigit Ampliſſimus *Jacobus Tappius* Medicus ac Profeſſor in inclyta Julia Celeberrimus *in methòd. medend. lib*. 3 *cap* 1 & jure videtur exigendum. Ut ut autem damnandæ ſunt compoſitiones juſto longiores; ſuus tamen fructus conſtat compoſitioni; uti *Averroës, de com-*

poſ. Medicam & ex eôdem ſed planius ac plenius docuit *Prævotius*. Argumento nobis (ſi non alia ſuppeterent exempla) vel ipſum eſt citreum, in quo etſi partes inſunt ſe corrigentes & adjuvantes mutuo ; non tamen eſt extra omnẽ incommodi jactum, niſi ejuſdem præparatio ritè fuerit inſtituta, quæ in cauſa eſt, ut quod crudum in eo eſt, corrigatur: Quod inutile prorſus, abjiciatur. Pro partium autem diverſitate, quid parari ex ſingulis queat, jam perpẽdendũ eſt porro. Ex corticibus (de his enim dicendum eſt primum) varia proſtant medicamina. Vel enim ſoli cortices conditi trahuntur in uſum, aut aliis medicamentis ſtomachicis pariter ac cordialibus imò alexipharmacis ſub forma electuarii ſolent admiſceri. Bezoardici exemplar electuarii eſto ſeqvens *Unzeri*; *lib. de peſte. 2. cap. 7.* cujus compoſitionẽ cortices citrini ingrediuntur.

℞. Conſ. Roſar.
Acetoſ. an unc. I.
Borrag. unc. ß.
Cortic:
Citr. Cond. *Dr. 6.*

Rad. pimpinell. cond. Dr 3.
Extract. baccar. junip. Dr. 1
Fl. ſulphuris ter ſublimat. Dr. ß.
Salis abſinthii Dr. i ß.
Cum ſir: acetoſitat. citr. ſ. q.
& ſpir: vitriol. par. f. l. a. *Electuarium*
S.

Ein ſtärck-Latwerge.

Si ad magnitudinem caſtaneæ ter aut qvater ſingulis diebus ſumatur, oppido erit proficuus uſus hujus electuarii, tam in peſte qvàm febribus malignis, ad viſcera inſigniter corroboranda. Mixtæ virtutis electuarii ſtomachici pariter ac cordialis exemplar ſeqvens poterit eſſe

℞. Conſ. Roſar. rubr.
Borrag.
Anth. an. Unc. ß.
Cort. citr. cond. Dr. 7.
Rad. Scorzoner. cond.
Cichor. cond.
Fl. citr. cond. an. Dr. 2.
Confect. Alcherm. Dr. 1.
ſir. de cortic. citr. ſ. q
f. l. a. *Electuarium.* S.

Ein Magen und Hertzſtärckende Latwergen.

Sumi ex hoc itidem poteſt ad modum paulò antè traditum. Ex his corticibus recentibus ac extimis jam porro (ceu Doctores docent Auguſtani) ſirupus paratur, ſi cum aqua fontanâ coquantur, & ex artis inſtituto cum debita ſacchari quantitate ad ſirupi conſiſtentiam redigantur. Sed probè hìc adverti merentur, qvæ in hoc aliiſq; ſirupis reformandis notari juſſit *Zwelferus*: quod coctionem haut ferant diuturniorem hi cortices, cum odorati ſint, adeoq; vis eorundem potior reſideat in tenui ac volatili ſubſtantiâ. Solet hic ſirupus eclegmatis, potionibus aut electuariis cum fructu admiſceri. Fieri quoq; ex his corticibus poſſunt, additis addendis, trochiſci, qui tempore peſtis ſolent in uſu eſſe, & ſub linguâ retineri.

℞. Cort. citr. exiccat. Unc. ß.
Cinam. Dr. 1.
Zedoar
Mac. an. Scr. 2.
C. C. uſti Dr. 1.
Rad. ireos
Bol. armen. an. Scr. 1. ß.
Ol. cortic. citr. Juni-

Juniper. an. gtt. 6
cinam. gtt. 3.
Sacchar. cand. albiſſ. cum mucilag; Unc.
tragac. ſolut. in Aq. roſar. ſ. q.
f. l. a. *trochiſci parvi*
S.

Præſervirende Peſt-küchlein/davon nach beliebung dan und wan einen auf der Zungen zu halten.

Ego, cui compoſitiones arrident conciſiores, præſcribere tales conſuevi.

℞. Corr. citr. exiccat. Scr. 1. ß.
Rad. Angelic. pulveriſat.
C. C. uſti, an. Scr. 1. ß.
Ol. cort. citr. gtt. 7.
Angelic.
cinam. an. gtt. 2.
Sacchar. albiſſ. in Aq. ſcorzoner.
ſ. q. ſolut. Unc. 3. f. l. a. *trochiſc.*
S.

Vermiſchete Citronenküchlein / davon nach beliebung 1. oder 2. zunehmen.

Ex iiſdem corticibus cum vis inſit flatus diſcutiendi, abundè in prioribus explanata, pulveres concinnari ſolent carminativi. Præſtans eſt ac magnæ virtutis, in tot etiam caſibus mihi exploratus ſequens. ℞. Fla-

℞. Flaved. Cort. cit. Unc. ß.
Rad. zedoar.
Galang. an. Dr. 2.
C. C. uſti Dr. 1 ß.
cinam. acutiſſ. Dr. 1 ß.
pulveriſat. ſubtiliſſimè add.
Ol. ſtillat. cumin. gtt. 6.
Anis.
Fænic.
Carvi. an. gtt. 2.
Rotul. Diagalang.
Diacumin. an. Dr. 2.
M. f. l. a. pulv. S.

Ein kräfftiges Windpulver.

Sumi ex hoc poteſt una vice, quantum cuſpide cultelli poteſt comprehendi. Ejuſdem virtutis imò planè mirabilis ſunt aquæ, quæ ex his corticibus, additis tamen adjuvantibus paratæ circumferuntur, carminativæ. Placet ſequentē *Riverii* (*lib. X. C. I. prax. Med.*) ceu unam inſtar omnium apponere.

℞. Flaved. cortic. citr.
Aurant. an. ~~Unc. 1 ß.~~ ℨ ij
Calam. aromatic. Unc. 1
Galang. ~~Unc. 3~~ ℨ iij
Cinam. Elect.
Sem. Anis.
Fænic. an. ~~Unc. 2.~~ ℨ iij cu-

Cumin. Dr. 6.
Bacc. juniper. recent. Unc. ß.
laur. ~~Unc. ß.~~ 3j.

Pulveriſat. ſubtiliſſ. affund. vin. Malvat. optim. ℔ 6. ſtent in loco calido per ſex dies. Poſtea deſtillentur in MB.

S.

Ein köſtliches Wind und Magen-Waßer.

Ex hac ſumi a prandio aut cænâ ad juvandam ventriculi coctionem, & flatus diſſipandos integrum poteſt cochlear. Quod fieri etiam cum fructu poteſt in ipſo paroxyſmo colico. Huc etiam faciunt ſpiritus ἀνλιφυσικὸς *Rolfincii* lib. tert. ſect. prim. cap. XXI. chimiæ in artis formam redactæ deſcriptus; Spiritus carminativus *Dorncrellii*, *Sylvii* & aliorum, quos brevitas non patitur recenſeri. Sin autem æger aliquantò fuerit delicatior, ad cujus palatum omnino oportet ut Medicus ſe accommodet: Eſſentia (cujus etiam antea facta eſt mêtio) ex his corticibus cum ſpiritu vini ad methodum Incomparabilis *R*olfincii Præceptoris mei ſummè Venerandi poteſt conciñari unde Scr. ß aut Scri. 1 in cóve- p. 42.

nienti

nienti vehiculo poteſt propinari: Aut olei (quod itidem ex his corticibus ad modò laudati *Rolfincii* methodum poteſt parari) tres, quatuor, aut quinq; guttulæ, & ſic paucis multa, hoc eſt exiguâ doſi magnas licet virtutes polliceri.

ARTICLUS II CAPITIS III.

Facit mentionem nonnullorum, quæ ex ſucco poſſunt parari, medicaminum,

Succus citrinus, cum iis, quæ ex corticibus aut ex toto parantur, adjiciatur nonnunquam, deq; illis jam dictum ſit in antecedentibus & dicendum in ſequentibus; ero aliquantò in hoc articulo brevior. Paratur ex hoc ſucco ſirupus acetoſitatis citr. appellatus tot Practicis decantatus, & mirifici in febribus tam malignis quàm benignis uſus. Solet julebis, potionibus electuariis & aliis admiſceri medicamentis. Neq; non in uſu eſt frequenti ſerũ lactis caprini, vel cum ſolo ſucco citrino parâtum & idcirco dictum ſerum lactis caprini citratum; cujus uſus inſignis eſt, & commendari meretur in febribus ardentibus, niſi forte

an adſint, quæ uſum ejus diſſuadeant, ſymptomata. Aut præter hunc ſuccum dicto ſero lactis caprini, præprimis ſi uſus ejus veniat in ſcorbuto, ſucci antiſcorbutici ut cochleariæ, fumariæ; naſturtii & id genus ſimilium cum fructu ſolent adjungi. *Videatur Timæus* von Güldenklee *lib.* 3. *cap.* XXI. De reliquis, quibus additur hic ſuccus, medicamenti generibus, cum etiam ex poſtea dicendis innoteſcere queat, non ero ſollicitus. Et tantum de ſucco.

Articulus *III.* Capitis *III.*

Agit de medicamentis, quæ ex ſeminibus citreis ſunt in uſu.

Semina ut plurimum ingrediuntur emulſiones, quæ miræ ſunt in peſte aliisq; morbis malignis efficaciæ, præprimis ſi alia ceu adjuvantia ipſis addantur, uti ſemina cardui benedicti, napi, aquilegiæ & ſimilium. Sit una inſtar omnium ac exempli loco ſeqvens a *Cratone* deſcripta emulſio.

R. Sem. card. ben. ℥ 1 ß.
citr. ℥ ß.
Nap. ℥ 1.
Aq. Card. ben. ℥ 3 ß.
M. f. Emuls. Add. ſir. acetoſit. citr. Unc. ß.
M. S.
Ein Stärck-Milch auf etlichen mahlen.

Pul-

Pulveres itidem contra vermes ingrediuntur hæc ſemina; nec non decocta ac aquas ſive alexipharmacas ſive expulſivas. Quæ cum paſſim ſint nota, & nonnihil in prioribus ſit dictum de illis, nefas duco hic reponere cramben, quod dicitur, bis coctam. Paucis jam;

Quænam ex toto citreo uſitata ſint medicamina, lubet attexere, unde jam predit.

ARTICULUS IV. CAPITIS III.

In toto citreo crudæ illæ partes, & debili ventriculo admodum moleſtæ ſua egent præparatione, hinc medicamenta naſcuntur varia; Vel enim pomum illud ad formam electuarii ſecundum methodum a *Sennerto* (*lib.* 5. *part.* 3. *ſect.* 3. *cap.* 10.) propoſitam condiri poteſt ſequentem in modum. Recipiatur pomum citreum integrum; maceretur per dies tres aut quatuor aquâ frigida, ſingulis diebus ſemel vel bis aquam permutando, donec amaritudo nonnihil extracta ſit; hinc coquatur, donec reddatur mollius, atq; affundatur ſaccharum clarificatum tepidum. Tribus diebus elapſis ſaccharum effundatur, atq; iterum nonnihil coquatur, & calidum pomo citreo affundatur, idq; toties repetatur, donec omnis aquoſitas abſumpta ſit. Sin autem hoc minus arrideat palato, aqua parari poteſt citrata vel ſimplicior, vel compoſita. Simplicior paratur ex flavedi-

ne corticum cum ſucco, aquâ fontanâ & vino; hac tamen proportione, ut ad 3 ℔ aquæ 1 ℔ vini ſumas. Poteris tamen, prout ægro magis vel minus noxius fuerit vini uſus, ejus quantitatem pro lubitu vel augere vel imminuere. Compoſita ſi placeat, præſtantiſſima ac maximè efficax videtur *Sennerti lib. 5. part. 3. ſect. 3. cap. 5.* tradita: Nec ſpernenda videtur, quæ apud Cl. *Johannem Michaëlem Febr.* in tractatu de ſcorzonerâ *cap. 7.* extat, cujus deſcriptionem hic placet ſubnectere.

R. Pomor. citr. recent N. 2
Incid. cum corticibus in taleolas
tenues add. ſachar. albiſſ. Unc. 3.
Rad. ſcorzoner. mundat. ℨ 2.
Aq. fontan. ℔ 7. Coq. ad tertias & colentur.

S.

Ein Vermiſchtes Citronen-Waßer.

Egregius hujus aquæ citratæ uſus tam im febribus malignis quàm ardentibus, cum ſiti reſtinguendæ mirum in modum ſerviat. Magni etiam fit in officinis ſirupus ex toto citreo Bezoarticus *Prævotii*, cujus deſcripto eſt talis.

R. Totius citr. ſucculenti radulâ trit. ℔ 1.
Aq. deſtill. è ſucc. pomor.
redolent
Acetos an ℔ ß.
Rad. ſcorzoner Unc. 2.
contryerv. Unc. ß.
Sem. card ben ℨ 3.
Fol ſcord. cretic. p. 2.
Spir. vitriol. rectificat. ℨ 2.

F. pi-

F. digeſtio per aliquot dies, Coletur ſine expreſſione. Colatura depuretur per reſidentiam, in qua aliquoties infund fl. citr. & aurant: Adde poſt dimidiam partem ſacchari, deſtill. Ad remanentiam tertiæ partis in formam ſcilicet ſirupi Ingreditur etiã totum illud citreũ conſtitutionẽ electuariorum.

Magni uſus eſt & ſingulariter in *ſcorbuto* commendandum, quod apud *Timæum* von Güldenklee *ſub fin. caſ. Practic.* extat, electuarium, cujus deſcriptio ſequens eſt.

R. Pomor. citr. recent. N. 4.
Incid. minutiſſimè una cum cort.
Add. Naſturt ;. M 4.
Cochlear M 3.
Beccabung. M 2.
Rad. Cichor. recent. Unc. 3.
Contund. in mortario lapid.
& cum ſ. q ſacchar. clarific.
f. Electuar. S.
Ein Schörbock atwerge.

Ex qvo ter vel qvater in dies ad quantitatem nucis juglandis poteſt ſumi. Et ſic etiam vel digito, quæ ex citreo tam toto qvàm partibus ejus ſingulis medicamina poſſint parari, oſtendimus. Omnia enim hic tradere, res integri foret commentarii. Hæc æqui boniq; conſule, B. L. hac quidem vice; plura, ſi me Deus ſoſpitaverit, parturient anni ſecuturi.

SOLI DEO GLORIA.

Corr. Ded. l. 9. ſub. p. 22. l. 18. ſententiã. 25. 16. duo. 30 14. ſolutu 32. 1. videtur. 33 17. phytognomia 38. 8. ſalſo. 47. 3. averruncandi. del. comm. 14. l. 13. 33. l. 18.

SECTIO PRIOR

CAPUT I. Agit de vanitate Medicamenti Univerſalis.

Articulus I. *proponit, qvomodo & qvotupliciter ſumatur Arcanum.*

DE arcano ſeu medicamento univerſali dicturi operæ videmur pretium facturi, ſi in limine veluti in vocis illius ARCANI acceptione variâ paucis occupemur. Sumi 1. ſolet pro ſpecificâ & excellentiore medicaminis alicujus virtute in certo morborum genere, unde alia in aliis affectibus ſpecifica, ſive ex vegetabilibus, ſive mineralibus ſive aliunde deprompta. Sed cum in ſingulis morbis plura dentur ſpecifica, alius tamen aliud & certum ſibi ex his pollicetur arcanum. Unde etiam pro ſuo qvisqve ingenio & boni amore publici in hujus aut illius hiſtoriam medicaminis & doctè & copiosè commentatur interdum. Qvibus ſanè ipſis ſive libellis ſive commentariis haut parum extenduntur rei Medicæ pomœria,

 ria,

ria, neqve argui mendacii poterit (uti diſcimus ex *Primeroſii* lib. 1. de erroribus vulgi cap. XII.) qvisqvam ſi vulgare remedium omnibus cognitum tanqvam ſibi proprium vendicet. Delectum verò ſpecificorum ritè habendum non niſi praxis, uſusqve rerum longior inculcat. E. g. Expectorantium campus ſuppetit uberior. Pro morbi tamen ac Symptomatum indole diversâ alius alia ſibi hìc eligit & tantum non arcana, prout praxis docuerit & caſus varii. Et qvamvis, ſi dotes ipſas, qvas & odor indicat & ſapor, ſpectaveris rectius expectorantium reliqvis palmam videantur præripere angelica pariter ac marrubium (ſi tuſſis ortum ſuum debeat pituitæ viſcidiori) ipſa tamen circumſtantiarum varietas ac indicatio varia aliud interdum ſvadent. Hinc citra medendi methodum perverſo Paracelſicorum more in hoc vel illo morbo certum ſibi ſpecificum ſeu arcanum polliceri, extremæ res eſt dementiæ. Deinde arcanum idem Medicis eſt qvod polychreſtum; qvando unum idemqve medicamen in variis affectibus ſuis ſe commendat dotibus. Horum tam ingens datur ubertas, ut vel à plerisqve ſimplicium ſuus ſit in variis affectibus fructus expectandus. Neqve etiam hoc ſenſu latiore (valent

lent enim verba, ut nummi, & voculis licet philoſophantibus ludere) intellecta, foro Medico exulent arcana, cum mirificam rectè utentibus polliceantur virtutem. Qvalia inter alia ſunt (ut ex campo uberiore unum ſaltem & alterum decerpam) Angelica, Petroſelinum Chærefolium, Meliſſa, Centaurium minus; Charyophillata, Abſinthium & alia id genus nota qvidem ſic ſatis, ſed ſi ritè qvoqve par eſt, artificio fuerint parata, & inſignis in tot tantisqve affectibus commendationis, & magni planè uſus. Sic ob vim ſuam aromaticam non cordis tantum vires, ac cerebri labantes, reficit ac recreat Angelica; ſed & pituitam viſcidam in pectore, aut in bronchiis pulmonum hærentem & attenuat validè, & ad ejiciendum & habilem reddit, & idoneam ſatis. Qvid? qvod in ipſa peſte fugandâ tanti credatur valoris, ut vulgo etiam ad ſpicula contagii hujus averruncanda uſus ejus uti freqvens maximè, ita oppidò ſit proficuus: Taceo vim ejus, qvam & febribus intermittentibus (ſive tertianæ ſive qvartanæ, prout mulrum negotii faceſſat pituita viſcidior) & omnibus fermè obſtructionibus viſcerum promittit inſignem, qvamqve in proclivi eſt oſtendere non à poſteriore tantum, ſed ex ſin-

gulari etiam & aromatico, qvem refert, & odore pariter ac ſapore. Uti & nobis dictum fuſius eſt in commentario noſtro de ſimplicium facult. cognoſcend: Pari ratione vulgaria ſunt & Petroſelinum & Chærefolium, ſed tanta utriusqve eſt in multis affectibus commendatio, ut ſuum ſingula mereantur commentarium. Qvippe ſi urinæ ardor infeſtat aut calculus, ſi uteri dolor, ſi lienis, ſi pancreatis obſtructio, ſi alia id genus incommoda moleſtiam creant ſanitati, certa in his eſt aut ſalutis ipſius anchora, aut certè levaminis. Par qvoqve ratio eſt Meliſſæ ut ut cognitæ vetulis plerisqve; cum clypei inſtar ſit, ſi aut cordis vires langveſcant, aut cerebri: Si flatuum item familia, ſi uterus tumultuatur aut lien. In qvibus ſanè omnibus tam ſingulariter ſe commendat, ut haut ſciam eqvidem, utra virtus ſit in Meliſſa, Cephalicane an Cardiaca? Uterina ne an ſplenetica, an alia fortean excellentior. De Caryophillatâ, de Centaurio minore & reliqvis idem eſto judicium. 3. Arcanorum nomine veniunt catholica & neſcio qvæ, ἀθανασίας καὶ ἀγηρασίας φάρμακα, (in qvibus à tot usqve annorum decurſu vanô àc irrito conatu deſudavit Schola Paracelſica) qvæ

qvæ omnibus creduntur morbis mederi. Deniqve huc faciunt Magica ac ſuperſtitioſa, ut medicatio armaria, transplantatio morborum, curatio per verba characteres, & alia ejusdem farinæ qvæ curationis titulum ſecretioris ſuæ præferunt vanitati digna profecto, qvæ non Scholâ tantum Medicâ exigantur, ſed & ad orcum ipſum relegentur prorſus. De qvibus in ſeqventibus, ſed in hoc capite tantum de Medicamento univerſali, ceu pluribus patebit ex articulo ſeqventi,

Artic. II. Sect. I. Capit. I. Agit de remedio univerſali, an detur?

REmedii univerſalis nomine qvid veniat, ex articulo antecedenti arbitror conſtare, qvod morbis nimirum omnibus medeatur, & incurabilibus. In qvo qvidem multum fertur deſudaſſe *Paracelſus* (& deſudant etiamnum ejus aſſeclæ) qvi tribus chemiæ principiis innixus rationibus & medendi methodo neglectis multis inceſſit modis Galenicos. Qvæ qvidem vanitas ac doctrina Paracelſica non confundenda temere eſt cum Chymia ſaniore. Cum in verba Paracelſi non omnes Chemici jurârint. Chemia, ſi tollatur abuſus excellens, Dei donum eſt, cujus beneficio

in lucem protrahunt naturæ ſecretiora: Hinc oſculo veluti excipienda eſt in multis caſibus; inprimis ſi aut morbus fuerit pertinacior, aut æger delicatior, adeoqve abhorreat à doſi medicaminum largiore. Hinc duas chymicæ Medicinæ ſectas nonnulli conſtituunt. Qvarum altera & methodo & indicationibus Galenicis ſervatis, ſua tamen præfert medicamina: Qvæ qvidem & ſanior eſt, & jure in civitatem Medicam adſcribenda. Altera verò, qvæ medendi ratione Galenicâ prorſus rejectâ, tribus chemiæ principiis innixa vana pollicetur & neſcio qvæ ἀθανασίας medicamina. Qvæ & frivola eſt, & penitus explodenda. Utramqve ſectarum *Dominicus Pizimentius Vibonenſis* Italus in præfatione Arcanorum *Mizaldi* complexus eſt his verbis. *Duæ*, inqvit, *hujus Chymicæ Medicinæ novæ ſunt Sectæ. Prior hæc, de qvâ loqvimur* (cujus & nobis mentio modò facta eſt.) *Altera cujus auctor eſt Theophraſtus Paracelſus Helvetius. Hic tribus illis Chemiæ principiis innixus, hoc tempore primus Medicam Chemiæ diſciplinam propè ſopitam ex Geberto & Arnoldo & cæteris veteribus profectam, ſed Galenicâ medendi ratione rejectâ, qvam, ubicunq; poteſt, inceſſit; ab inferis qvaſi revocaſſe,*

exci-

excitaſſeq́; dicitur. Qvin etiam novis inventis ornaſſe, plurimis locupletaſſe. Verum tamen ad hæc explicanda majores ſecutus; at ipſos obſcuritate multâ ſuperans tale dicendi genus ſibi propoſuit, & res involvendi ſimulachris effinxit, qvale vel duo vel nemo, vel ſaltem pauci intelligant. Ac neq́; deſunt, qvi eam, qvàm verè neſcio, ad ſcribendum, qvis enim plura edidit? cum impuris Spiritibus commercium habuiſſe referant. Et qvoad ejus medicamenta pertinet, non ſine maximo diſcrimne ſums poſſe. Ejus verò ſectatores longè diverſa ſentiunt. Nunqvam decantandis ejus laudibus, & curationum, uti appellant, miraculis exſatiantur. Adeò ſunt in eum affecti, ut ipſum ſemper in ore gerant. Philoſophorum lapidem ipſum ſibi comparaſſe, qvem incluſum, ajunt, gladii capulo geſtârit. Deniq́; morbos omnes, qvi Galenicis incurabiles viſi ſunt, ſanâſſe. Hæc ille. Sed ad qvæſtionem ipſam remedii illius univerſalis; an detur hujusmodi, meritò & omninò eſt qvod dubitemus, cum & rationes explodant & experientia. Hanc ſi conſulueris, nullus hactenus extitit etiam gregis ipſius Paracelſici, qvi in tantæ poſſeſſionem rei, qvamvis hic vel ille fuerit gloriatus; pervenerit (ceu fuſius docet Magnus *Conringius* de Hermetic. Medic.) Qvid? qvod aliis qvoq; medicamentis

pro morbi & ſymptomatum varietate diverſis, qvam fingunt, panacæam & ipſi addiderint, & morbis diverſis diverſa eſſe remedia adhibenda ultro fuerint confeſſi. Celebres præ reliqvis qvondam, & tanti conſcii arcani credebantur *Arnoldus Villanovanus*, *Raymundus Lullius*, *Rupeſciſſa*, *Anwaldus*, & gregis ejusdem alii. At qvàm vanè & voto minus reſpondente effectu ad hanc aſpirârint viam, in aprico eſt: Cum actus vitæ brevioris, qvam prorogare ſibiipſis neſciverunt (qvod horum nonnulli diſceſſerint haut valde ſenes) & index ſit, & libri loqvantur ſuperſtites, variis qvoqve uſos eos eſſe remediis. Verum cum vanæ ac irritæ illorum experientiæ aliis inprimis Magno *Conringio* & refutatæ ſint plenius, & rerum Magiſtra experientia qvotidiana eludat ſubinde, ad rationes oportet progrediamur. Qvarum ritè tradendarum ratio videtur cum in aſſerendis noſtris pro veritate obtinendâ rationibus, tum adverſantium refutandis verſari. Stabiliuntur noſtræ, qvod neqve à craſi ſimplicium, unde vis Medica deducenda omnino eſt, neqve à chymicæ operationis induſtria, neqve à miſtione plurimum univerſale remedium temere liceat arceſſere: Craſin ſi ſpectas medicamenti, nullo unqvam pacto

patro-

patrocinabitur paradoxo. Cum non detur, qvod ſuæ ratione temperici tot contrariis poſſit affectibus mederi, & alvi fluxui (Ex. gr.) & adſtrictioni, cum hinc experientibus opus ſit, illinc adſtringentibus. Qvid? qvod & ægrorum conſtitutio ſingularis, & ſymptomatum diverſitas vel unius ejusdemqve morbi concurrat; ut illius intuitu alteri noceat, qvod alteri poſſit mirum in modum prodeſſe: Hujus verò cognoſci vix qveat unus idemqve morbus: Cujus rei argumento ſunt vel ſolæ febres Epidemiæ, qvæ alio atqve alio comitatu incedunt vel ſingulis annis, ut febres eſſe non niſi peritior morborum artifex & cordatior qveat olfacere. Neqve verò eſt, qvod cum partibus, qvæ medicamentibus nonnullis inſunt, heterogeneis ceu clypeo ſe tueantur adverſarii; tum qvod modò adſtringat, modò aperiat unum idemqve medicamen: Cum ad utrumqve reſponſio ſit facilis; ad prius qvidem, qvod ejus indolis ſint partium medicamina heterogenearum, ut actionem ſuam in uno exerant potiorem; hoc eſt aut adſtringant cum aliqvâ apertione, aut cum aliqva adſtrictione aperiant. Ad poſterius verò, fieri interdum poſſe, ut ratione ægrorum diverſus ab uno eôdemq; medicamine oriatur effectus.

Aperientia (Ex. gr.) ipſam obſtructionis matrem pituitam attenuando aperiunt omnino; ſed ſerum exiccando validè in ſcorbuticis multôqve abundantibus ſero, fit, ut ipſum interdum fluxum cohibeant. At in præparatione chymicâ ſatis artificiosâ defenſionis ſuæ anchoram figunt adverſarii, huic deberi rati, ut qvinta, ceu vocant, eſſentia ipſis medicaminibus extracta ſuâ incorruptibilitate, aut vi qvâdam, (uti loqvuntur) cœleſti vires cordis languidas tam mirificè corroboret tamq; ſingulariter, ut morbis etiam contrariis ſuperandis par ſit. Qvæ dicuntur qvidem ipſis ſatis ſpeciosè, ſed infirmiora videntur, qvibus perſvadere id cupiunt, argumenta. Placet ipſa illorum arcana, aliis aliter expoſita aut ex regno ſive vegetabilium, ſive mineralium ſive aliunde deprompta ſub incudem vocare. Cælum hic ſuum ſeu qvintam, uti vocat eſſentiam corruptibilitatis omnis expertem extollunt Lullius ac Rupeſciſſa. Sed ſi ad examen exigatur illa eſſentia ſive cœlum, neutiqvam ſatis huic facit paradoxo. Cum nihil aliud ſit eadem, qvàm vini ſpiritus crebris circulationibus in vaſe Hermetico præparatus: Nec video, cur incorruptibilis ſit, vini liqvor tenuiſſimus; niſi citra omnem philoſophantium ratio-

rationem velis aſſeverare; crebrioris beneficio circulationis id effici, ut exutâ corruptibilitatis aliam induat naturam. Corruptibilitatis cenſu haut poſſe hunc liqvorem eximere tenuitatem, vel tyro Philoſophiæ naturalis noverit. Qvæ de cælo ſuo *Lullius*, eadem non dubitavit *Boëtius de Boot* deprædicare de verâ Corallorum tincturâ, cui vim videtur catholicam adſcribere. Sic enim de illa: *Corpus* (ait) *redigit in temperiem cœleſti qvâdam vi, & propterea omnes partium affectus radicitus evellit propter analogiam qvam habet cum ſpiritibus vitalibus & innato calido, qvod auget roboratq;, ut facilè contrarios morbos qveat ſuperare.* Sed immane qvantum cum à vero hæc diſſident (qvod & vi qvâdam cœleſti credatur gaudere tinctura corallorum, & analogiâ cum ſpiritibus vitalibus) tum ipſa qvoq; collectio eſt imbecillis admodum. Unde enim vis illa cœleſtis? aut unde analogia ſeu affinitas cum ſpiritibus vitalibus? Non illa: qvod neqve à corallis qvà talibus poſſit neqve ab operatione chymicâ derivari; cum illa ſint elementaris naturæ, hæc verò neutiqvam poſſit, qvæ corallis non ineſt, incorruptibilitatem aut vim cœleſtem largiri. Neqve etiam hæc (analogiam dico cum ſpiritibus vitalibus) qvod nulla

hacte-

hactenus ſuppeditata ſit ratio nec ſuppeditari ſat commoda qveat; qvare & corallis & lapidibus pretioſis vis tam mirabilis ſit tribuenda. In eô qvidem & corallia & lapides pretioſi & convenire, & juxtà videntur cenſeri, qvod in humorum orgasmo conſopiendo & fructum polliceantur inſignem, & ſic cor æqvè ac reliqva viſcera jure exiſtimentur corroborare: Sed qvod certa qvædam ſive analogia ſive affinitas intercedat cum ſpiritibus vitalibus, qvos virtute, qvâ neſcio, & nitidos reddere creduntur & ſplendidos, ſuperſtitioſum qvid redolet, ſi id, qvod res eſt, velis fateri. Qvod ſcitè aliàs ac præclarè de gemmis trium Imperatorum Medicus *Crato*, id jure nunc licet de coralliis, eorumqve tincturâ affirmare. Ita autem ille: *De gemmarum viribus non indoctos dubitare, inqvis magnas & admirabiles ineſſe gemmis vires exiſtimaſſe, qvi tamen aliàs abditis illis proprietatibus tribuunt plurimum. Idem ipſe qvoq́ omnibus temporibus animadverti, illos ſolos (de doctis loqvor) ita ſtatuiſſe, qvi perpetuo latentes poteſtates reparent. Sed ſatis non eſt doctum eſſe, niſi qvis hac ipsâ in re, de qvâ qvæſtio eſt, doctus ſit. Fieri certè poteſt, ut Excellentibus viris & præcipuis in partibus artis noſtræ Exercitatiſſimis nunqvam in mentem venerit de hujus*

rei

rei veritate inqvirere. Solent enim plerique fidem habere illis, qvi ſe periculum feciſſe affirmant, qvaſi non & ſe & alios fallere potuerint. In horum ordine ipſe qvoque permanſiſſem, ſi non obſervâſſem, omnes ferè, qvi talia præcipuè nobis commendârunt, ſuperſtitioſiſſimos, aliiſque vanis artibus deditos fuiſſe. Credat, qvi vult, gemmas mirabilia efficere. Mihi qvi eſt ratione & experientia didici aliter rem habere, nullus facilè perſvadebit falſum eſſe verum. Hactenus Crato. Sed & ipſa collectio, ut innuebam antea, imbecillis imò falſa & prorſus. Fac etenim hanc coralliorum tincturam mirificam gerere cum ſpiritibus vitalibus affinitatem. An omnium idcirco partium affectibus par eſt ſanandis? Aut vires promittit eaſdem in omnibus? Multa qvæſo ſunt & aromatica & ſvaviter fragrantia, qvibus & ipſis omninò aliqva videtur ineſſe cum ſpiritibus vitalibus convenientia, qvæ tantum abeſt tamen, ut poſſint omnibus, ut obſint potius nonnullis. Argumento nobis luculento eſt roſa. Qvid enim ſvavius eſt aut ipſi naturæ convenientiùs roſâ? qvæ eſt coloris ſui purpurâ, & fragrantiâ odoris ſe mirum in modum commendat. Temperies ipſi oppidò laudabilis; particulæ item multæ inſunt aëriæ, & nullum adeò eſt dubium, qvin & com-

& commercii nonnihil huic omnino ſit cum ſpiritibus vitalibus, & cor langvidum & vires ejus recreet labantes. Qvis autem idcirco colligeret & odorem & uſum ejus & ſalutarem omnibus eſſe & morbis ſuccurrere omnium partium. Neutrum videtur verò congruere. Non illud: Cum reperiantur, qvi roſæ odorem vix citra animi ferant deliqvium: Non hoc; cum abundè refutet experientia. In lapide ſuo vegetabili tanti poſſeſſionem arcani qvæſivit *Iſaacus Hollandus*, eumqve & minerali & animali, qvod corroſivus ſit minus, præfert. Jubet autem concinnari eundem ex ſale acerrimo vi ignis vehementiſſimi ex vini fecibus parato. Sed cum & idem (ipſo fatente Iſaaco) ſuæ non expers ſit corroſionis, nec ſic voto poſſe in tot morbis partium curandis reſpondere in aprico eſt: Salis qvidem præconia ſatis præclara paſſim reperiuntur apud Celeberrimos qvosqve chymiatros; qvod ejus veſtigia, ubivis locorum, qvo verteris cunqve vel corporis oculos vel mentis, & præſto ſint, & fæcunda ſatis. Huic deberi & fertilitatem vegetantium, ſplendorem & radios lapidum pretioſorum, rerumqve omnium cum vegetabilium tum animalium, tum mineralium perfectiones & proprietates & di-

& dilucidè aſſerit *Langius* Profeſſor qvondam Lipſienſium Celeberrimus, & tam nitido tamq; ſingulari verborum apparatu exponit, ut haut ſciam, an qvisqvam elegantius. Qvocirca non obſcurum eſt, vim Medicam in ſale potiſſimam reſidere, cujus præco inſignis eſt Chymiater ille Celeberrimus *Faber*, hinc Chir. Spagyr. cap. 8. *in ſale*, inqvit, *conſenſu omnium Ægyptiorum Arabumq; latent omnia ſecreta, & vitæ conſervatio, & omnium morborum curatio, &c.* Sed cum ingens detur ſalis unicuiqve rerum ceu balſami cujusdam inditi diverſitas, & inde natæ proprietates diverſæ; non video, qvomodo in unico aliqvo Sale utut nitidiſſimè ac artificioſiſſimè concinnato curatio morborum omnium qveat latere: Qvod tamen videtur intendere modò laudatus Faber, Panchym. vol. 1. lib. 1. cap. 9. Sed hæc videtur aliqvantò ſublimiora. Qvod & ipſe *Langius* cap. 30. Miſcell. curios. Medic. de hoc ſale philoſophorum diſſerens fatetur ingenuè. Hinc *de ſale hoc*, ait, *philoſophorum, & vero chymicorum ſole ac triumpho dum illa ediſſero, nimis ſublimia loqvor, & hoc ipſo ultra mediocritatis meæ terminos utiq; evagor. Sed forſan ſic beati ſatis, ſatisq; prudentes videbimur, ſi fratrem illum ſatis chymici, hoc eſt ſal commune &*

alia

alia huic confinia ſalia, qvæ ex triplici rerum regno ſecundum artis normam elicere ſolemus nosmet familiarius interim noverimus. Neqve verò rationes video hic ullas, cur in unicum aliqvod ſal ſive certi alicujus ſalis ſpiritus neſcio qvo artificio elicitus tot morbis qveat curandis ſufficere, cum operationum in ſingulis ex ſuo cujusq; rei ſale, cujus facta qvoqve jam ante eſt mentio, nata proprietas vel ſola redarguat falſitatem. Nec eſt, qvod balſamum eſſe affirment ſal illud homogeneum & ſimile interiori noſtro, qvo vivimus, & conſervamur; cum nec hoc firmum ſit, nec tantæ rei probandæ ſatis. Videtur enim hæc de vi ſatis balſamica noſtro ſali oppidò congruâ, & de Medicinâ univerſali inde deducta collectione eò redire controverſia, qvò illa, qvæ ſupra de tincturæ corallorum affinitate cum ſpiritibus vitalibus. Sed uti illa (affinitas eſt huic tincturæ cum ſpiritibus vitalibus, Ergo omnium partium vitia in omnibus poteſt ſanare) erronea eſt & maximè falſa; ita etiam hæc, qvæ de balſami illius ſalini rebus ſingulis inditi affinitate cum ſale noſtro balſamico formatur collectio. Qvot enim qvæſo ſatis noſtri vitia dantur, & enormia interdum & in tot diverſis diverſa & planè contraria: Qvibus unico aliqvò

qvò ſale utut artificiociſſimè elaborato ſatis omnibus facere ἐν τῶν videtur ἀδυνάτων. Vel ſolius ſcorbuti ſalis & ſulphuris enormium tot dantur recrementa tamqve diverſa, ut qvod in hoc ægro ſcorbutum aut tollit aut mitigat certè, in illo adaugeat nimium qvantum. Qvâ de re pluribus infra. De ſpiritu ſalis communis (qvod dictum qvoqve cupio de ſalibus plantarum per incinerationem factis) tam plana res eſt, & nota omnibus, ut vel verbum hic religio ſit addere: Omnibus enim illum prodeſſe utut maximè ſalutarem, cum ratio tum experientia eludunt. Illa qvidem, qvod morbi dentur, qvibus, qvæ ineſt, acrimoniâ noceat. Hæc verò pateat in tincturâ *B. Mæbii* Profeſſoris qvondam tenens: Celeberrimi polychreſtâ qvoad baſin ex ſpirituſalis conſtante, qvam nonnullis utiq;, qvi præter maligni viri mentem tanqvam catholicam adhibuerint, inſigniter nocuiſſe manifeſtum eſt. Sed latetne fortean vis illa, in qva Chymici deſudant tantopere, univerſalis in Antimonio? qvod, ſi & abuſus tollatur, & artifex acceſſerit peritior, magna in tot affectibus meretur elogia. Qvippe non in lue tantum venerea ac Arabum elephantiaſi, ſed & in aliis id genus affectibus & proficuam oppidò ac inſtar ar-

cani fuiſſe ejus tincturam, tot Illuſtrium experimenta Medicorum docent. Meminit qvoqꝫ Timæus *von Guldenklee* ſingularis arcani in tincturâ ex mercurio Antimonii contra ſangvinis impuritates & cancrum adeò ipſum latitantis. Ratio qvoq; effectuum tantorum nec ipſa obſcura eſt, cum & ſulphure aliqvantò puriore, & Mercurio & Salis aliqva portione abundet Antimonium; unde vim ejus polychreſtam haut difficile eſt divinare. Qvò digitum videtur intendere *Andreas Libavius* (in Epiſt. ad *Joh. Hartmannum* de panacæâ Anwaldinâ) qvi cum in excutiendâ panacæâ illâ Anwaldinâ occuparetur totus, *Antimonium*, inqvit, *adibam, in qvo ſciebam Mercurium & Sulphur eſſe, & cujus color mihi antehac viſus erat bene alluſiſſe. Imò cum tantum tribuant Chymici illius tincturæ, qvantum ne auro qvidem; & Magnifica promiſſa Anwaldi me impellerent; vix aliud ſtatui, qvàm Antimonium eſſe radicem illius.* At omnium morborum remedium idcirco eſſe Antimonium, & verò videtur minus ſimile, & ipsâ refellitur experientiâ. Cum nullus artificum hactenus utut peritiſſimus hujusmodi nobis ex Antimonio, qvod morbis ſufficiat omnibus, præbuerit remedium. In Sileſiâ Empiricus qvidam Famoſiſſimus pilulis fertur

fertur catholicis ſuperbire, ex qvibus rem ſatis magnam illum audio fuiſſe. Flores Antimonii baſis creduntur eſſe. Sed qvàm ſiniſtrè eventu prorſus contrario cum inſigni ægrorum detrimento res eadem ceſſerit interdum, edoctus non ſemel ſum à viris fide digniſſimis. Neqve verò in ipſo auro aut lapide Philoſophorum tanti probatio paradoxi qværenda eſt; qvod hic imperfecta qvæqve metalla in aurum credatur immutare: Hoc verò ſol audiat metallorum, nec igni ulli cedat aut vetuſtati. Neutra ratio ſatisfacit: Non illa; qvoniam nulla datur conſeqventia. (Hic lapis poteſt imperfecta qvæq; metalla immutare, Ergo partium morbis omnium prodeſt) cum partes nec ipſæ ſint metallicæ, nec debeant in nobiliorem aliqvam ac incorruptibilem maſſam mutari. Non etiam hæc, qvod aurum idem haut poſſit qvod ſol, utqve poſſit, non vitia idcirco qvævis qveat emendare. De auro audiamus ipſum *Conringium*, plenius diſſerentem, *lib. 2. de Hermetic. Medic. cap. 3. An aurum,* (inqvit) *id poteſt, qvod ſol? Utq́; posſit; num propterea vitia qvævis emendare aptum ſit, qvod ne vero ſoli qvidem eſt conceſſum? Num qvod incoruptibile eſt, atq; adeò qvod ineptum pati, illud qvidvis etiam poteſt agere? Sanè quod*

 eſt

eſt immutabile, id calidum noſtrum nativum haut poteſt alere, & perpetuò conſervare (qvod tamen illi ſibi imaginantur) utpote cum nihil alat, niſi idem aptum ſit mutari ab igne noſtro in ſui naturam. Hocce noſtro argumento certè eludere licet omnes, qvi qvinta aliqvâ rerum eſſentiâ idem qvod alii auro præſtare conantur. Hæc ille. A qvibus haut multum videntur diſſidere, qvæ in Epiſtolâ ad *Petrum Monavium*. *Thomas Eraſtus*. *Aurum*, inqvit, *perfectè miſtum concedo, qvando perfectè miſtum vocas, cujus partes humidæ ita ſunt cum ſiccis temporatæ, ut alteræ ab alteris ſejungi neqveant. Hæc perfectio qvid ad temperationem corporum noſtrorum attinet? Miſtio perfecta aliô modo dicitur, qvæ ad plurimarum & præſtantiſſimarum actionum uſum reqviritur. Hac perfectione metallis nihil imperfectius, hominis corpore nihil perfectius in tota rerum naturâ invenitur. Repeti ſuperiora etiam hic poſſunt. Eſt enim impoſſibile, ut, qvæ alere non poſſunt, ſpiritus augeant ac deperditos reſtituant. Qvare verba ſunt inania: Specifica proprietas, per qvam inſtaurantur Spiritus, eſt proprietas temperamenti talis, cujus ratione alimentum aliqvid eſt, ac fieri id poteſt, qvod nos ſumus. Qvod cum negatum ſit metallis, nullum hic locum habet de occultâ aliâ proprietate commentum ullum.* Qvibus nunc poſitis, vel

cuivis

cuivis copia datur colligendi, auro poſſe neutiqvam competere vim illam Medicam univerſalem. Actum hactenus eſt, qvomodo nec à craſi ſimplicium nec ab operatione Chymicâ arceſſi qveat vis Medica Univerſalis: Neceſſe igitur eſt, ut paucis addamus, qvid ſperandum ſit à compoſitione ſeu miſtione plurium. Sed neq; iſthæc huic paradoxo par eſt. Multum qvidem, fateor, confert prudenter inſtituta ſive miſtio ſive compoſitio. Sed eam concinnare, qvæ omnibus eſt morbis & ſymptomatibus faciat in omnibus ſatis, ἐν τῶν videtur ἀδυνάτων. Qvippe ſi aſſeqvi plures qvàm par eſt, fines ipsâ compoſitione cupias, tantum abeſt, ut proſit moles illa rerum indigeſta, ut obſit potius immane qvantum. Unde non mirum adeò eſt, plus poſſe vetulas interdum efficere vel unico ſimpliciore, qvàm pompoſis ſuis compoſitionibus nonnulli ſive Medici ſive Medicaſtri. Compoſitio enim omnino ad caſum præſentem ratione ægri & ſingulorum ſymptomatum habitâ dirigenda penitus eſt. Cum aliàs vel unum ingrediens poſſit in cauſâ eſſe, ut in hoc vel illo ægrorum totum rejiciatur compoſitum. Detur tibi (Ex, gr.) & uſus Magni, & commendationis

qvoq;

qvoq; ſingularis medicamen in partu difficiliore: ſit ex uterinis, aperientibus & ſexui ſeqviori apprimè congruis conflatum, cui addita ſit portio tantum exigua vel moſchi vel ambræ: Si hoc propinaveris mulieri partui qvidem vicinæ, ſed à ſvavi odore abhorrenti mulrum: Omnino erit inconveniens, utut aliàs commendabile fortean medicamen vel ob unius ſive ambræ ſive moſchi ingreſſum. Qvamobrem, qvi ſimplicia plura citra indicium cöacervant; experiuntur ſæpius, qvod ille, de qvo *Primeroſius* lib. I. de errorib. vulgi cap. XII. *Habebat qvidam*, (ait) *deſcriptionem purgationis cujusdam, qvam uti ajebat, Medicus qvidam valde doctus, ſed jam mortuus ipſi dederat, non potui continere riſum ob ineptiam compoſitionis. Eam tamen pro uxore ſuâ ipſe compoſuit; ſed irritô conatu. Suaſi, ut pharmacopœo traderet, & tertiam demum partem daret, qvâ ſufficienter & abundè purgata fuit.* Sed de compoſitione eò hìc ſum brevior, qvò infra de eâdem, Deo ſic dante, ero prolixior. Supereſt nunc, ut eâ, qvâ par eſt, brevitate attexamus rationum nobis adverſantium refutationem. Duo autem potiſſimum ſunt, qvæ maximè urgent adverſarii: Unum, qvod dentur venena omnibus hominibus lethalia. Ergò etiam dari aliqvid,

aliqvid, qvod omnibus hominibus proſit. Alterum, qvod dentur remedia ſingularum partium vitiis oppoſita, qvidni ergo reperiatur, qvod omnibus in univerſum ſit commodum. Ad prius regerit, Magnus *Conringius*, vitio conſeqventiæ laborare: *Cum ad id, ut pereat aliqvod corpus adeoq́; & animal, ſatis eſt, ſi una eſſentialis ejus pars intereat, ut conſervetur autem, omnes partes integræ ſint, neceſſum eſt.* Paulò plenius mentem *Conringianam* ita licet explicare. Noxa qvæ à venenis infertur, lethalis, ſanorum intuitu conſideranda eſt, & factu facilior, qvàm integra reſtitutio, qvæ ægrorum. Qvod deflexus à ſtatu naturali in ægris tantus tamq́; varius ſit, ut morbi non tantum ſinguli ſuis gaudeant ſymptomatibus; ſed & ſinguli longè varient ac multum in ſingulis, hoc eſt una & eadem morbi ſpecies aliter ſe atq; aliter habeat in aliis. Unde & reſtitutioni ægrorum integræ cum tot partium morbis & ſymptomatibus, & in uno ægre interdum longè diverſis ac contrariis planè conflictandum eſt. Qvò fit, ut eadem in aliis ſit facilior in aliis difficilior; in aliis obtineri prorſus non poſſit. Diſpar verò ratio eſt noxæ qvæ ſanis contingit à veneno, lethalis, qvæ qvamvis & ipſa variet, ita ut tempera-

menti ratione diverſi alii facilius lædantur, alii difficilius; alii ab hoc vel illo veneno ſint immunes prorſus (uti memini tradere me aliàs uberius) & citò tamen contingit & in ipſo temporis articulo, parte tantum læsâ eſſentiali. Lethalis igitur læſio & reſtitutio integra cum non æqvè faciles ſint ac poſſibiles (ut ita loqvar) ab univerſali veneno ad remedium univerſale neutiqvam fit collectio. At verò ſi totum argumentum qvodammodo & cum grano ſalis qvod ajunt, concederes, non herba tamen idcirco foret adverſariis porrigenda. Fingamus igitur, dari medicamentum aliqvod temperatius, qvod ægris omnibus conveniat, hoc eſt cujus uſus ſit extra omnem detrimenti jactum poſitus: Num inde poſſet ſtatim deduci, idem poſſe morbos omnes ac ſymptomata in omnibus ſanare, aut ſpecificum eſſe, uti vocant, in omnibus morbis? An opus ergo eſt ut medicamentum illud omnibus conveniens eôdem modo proſit, qvo venena lethalia omnibus hominibus, lædant. Ad poſterius itidem reſponſio eſt in propatulo; cum qvod & ipſum laboret vitio conſeqventiæ, tum qvod partium illa ſpecifica non ſenſu Paracelſico ſint admittenda, nec vis magnetica detur inter partes & inter ſpecifica ſic dicta qvæ & aliis

aliis in partibus magnam merentur laudem (uti memini explicaſſe me alibi fuſius) jure hic licet accommodare verba *Magni* illius *Wormii*, qvæ (citante *Bartholino* Incomparabili diſſent. 4. de domeſtic. Donor. Medicin.) extant in theoremate illo, an unico medicamento omnes diſſenteriæ ſpecies curari posſint? refert ibi varias diſſenteriæ ſpecies, & his tandem verbis concludit: *Has omnes hujus morbi differentias uno modo tractari, aut unico medicamento curari poſſe, qvi aſſerit, cum ratione inſanire mihi videtur non ſecus ac ille qvi uno calopodiô omnes homines calciare allaborat.* Merito igitur jure nunc nobis ex verbis illis *Wormianis* à minore ad majus datur arguere hunc in modum. Si vero minus eſt congruum, tot unius morbi differentias unô poſſe medicamento ſanari: longius adhuc imò longisſimè à vero abludit, dari univerſale morborum omnium remedium, de qvo hæc ſatis eſt pro tractatus noſtri brevitate dixiſſe.

CAP. II. SECTION. I. proponit, An in ungvento ſive armario ſive ſympathetico, aut in morborum transplantatione qværenda ſint arcana.

Artic. I. Agit de Ungvento armario.

VIx unqvam arbitror reperiri, qvi non arti tantum Medicæ, ſed ſcripturæ etiam ipſius ſacræ authoritati plus derogant, qvàm hoplochriſtæ, qvi tam ungventi, qvod vocant, armarii vim mirabilem, qvàm morborum transplantationem effingentes, ſcientiæ obtentu ſecretioris, pravis ſuis erroribus ſpecioſa prætexunt nomina. Sed illa ſive Magia, ſive opinionum vanitas dudum exploſa doctioribus eſt. Qvocirca & ipſi, cum veri Medici ſit, non artem tantum ipſam, qvæq; ad cultum ejus faciunt uberiorem, rectius noviſſe: Sed & fibrillas opinionum, qvæ multum obſtant & famæ & authoritati medentium, funditus poſſe in tempore, & prius ex vulgi animis, qvàm egerunt radices, evellere; harum falſitatem opinionum ſumus artis Medicæ tyronibus, qvâ par eſt, brevitate oſtenſuri. Aſt de ſingulis ſigillatim. Fiat itaq; acceſſus ad curationem

tionem vulnerum hopliatricam, cujus vis tota in eô creditur conſiſtere, ut beneficio ſive pulveris, ſive ungventi, uti vocant, ſympathetici, vulnus ipſum illo tum prius ac obligatum modô vel gladius, qvô vulnus patratũ eſt, vel lignum aut linteolũ, aut aliud qvid vulneris tantum ſangvine conſperſum, inunctum fuerit ac obligatum; ſatis feliciter reſtituatur. Cui qvidem opinioni vel maximè addicti ſunt Paracelſiſtæ, Anteſignanum ſuum Paracelſum ſecuti, qvi, teſte *Babtiſta Porta*, idem fertur commendaſſe Cæſari *Maximiliano*. De qvo qvidem ungvento ejusqve viribus cum alii diſſeruerint prolixius integris conſcriptis libellis, & ex recentioribus inprimis Illuſtriſſimus Comes *Digbbæus*, qvi in tractatu de pulvere ſympathetico, ſpecioſô verborum & argumentorum apparatu Cartheſiano hoc agit, ſeqve periculum ait feciſſe in Secretario qvodam Anglo, qvi in altero pede vulnere accepto adeò periculoſo, ut artis omnem & Chirurgorum induſtriam eluderet, vel ſolo linteolo vulneris ſaltem ſangvine inqvinato aqvæ frigidiori, in qva ſalutem erat Vitriolum, ſubinde immerſo, (accedente tamen ipsâ obligatione vulneris) paucos intra dies reſtitutus eſt. Nos tantum in hoc articulo tangemus pauca ad

plenio-

pleniorem fortean eorum intellectum, qvæ ſcriptoribus hujusmodi, qvorum aliis ungventi hujus operatio finibus naturæ conformis ſtatuitur; aliis verò non item, tradita ſunt uberius. Lubea autem obiter prius & tanqvam aliud agenti, qvàm ipſum agendi modum aggrediar, an naturæ conveniat nec ne, attingere, cum qvod ſuſpecta interdum ſint exempla, & fruſtrentur utentem, ita ut experientiis liceat experientias opponere; tum qvod ritè ac ſedulò obſervatis, qvæ obſervari jubent hoplochriſtæ, vi caloris nativi ſponte ſuâ multa coaluerint & coaleſcant vulnera. Prius mihi patet in ægris meis, in qvibus neq; meo neq; illorum voto reſpondit Vitriolum, qvod ad fluxum ſangvinis ad miraculum usq; ſiſtendum commendari ſolet à Practicis Magni Nominis, hoc qvidem modô, ut linteolum ſangvine è naribus profluente conſperſum aqvæ immergatur frigidiori, in qvâ Vitriolum eſt ſolutum. Poſterius evincit ſingularis illa, & miratu digna, qvæ *Andreæ Libavio* (in tractat. de ungvent. Armar.) recitatur hiſtoria *pueri* cujusdam, *qvi patre ſcriniario* (verba ſunt Libavii) *alibi occupato ad opus acceſſit volens neſcio qvid peracuto cultro levigare: Sed declinans ille à materiâ, minimum digitum trajecit transverſum,*

ſum, & ita magnam partem abſcidit penitus. Ille exterritus animo ita ſangvinem cohibuit; donec abſciſſam partem correptam ſubitò apponeret mutilatæ, & circum circa glutine (cujus lebes paulò antè à patre uſurpatus adhuc calens cum materiâ adſtabat) oblineret obligaretq́; Factum itaq́ eſt, ut partes divulſæ ſpatio 21. dierum compingerentur, cujus veſtigium poſtea per omnem vitam manſit, nempe circulus totum digitum ambiens. Idem qvoqve ait comperiſſe ſe in digito ſuo periculosè itidem vulnerato, & reſtituto vi caloris nativi. Alii alia notæ ejusdem adferunt exempla, qvibus nunc miſſis, in ipſum tantum effectum, an vires naturæ excedat, nec ne, inqviremus, ſatis facturi præprimis recentiorum argumentis ex philoſophiæ fontibus Cartheſianæ depromptis, qvibus & lucem & robur nituntur addere vanæ ac ſuperſtitioſæ huic de ungvento armario opinioni; in qvâ qvidem refutandâ occupatis advertendæ cum res ipſæ ſunt, qvæ ad curationem concurrunt hopliatricam, tum ipſe agendi modus. Res ipſæ, uti inſtrumentum, qvo commiſſum eſt vulnus, ungven & ſangvis ſive in enſe ſive in linteolo ſive alibi relictus jure veniunt in qvæſtionem, utrum his vel ſolis vel conjunctis tam mirabilis debeatur actio.

De

De ſolis ſi ſermo ſit, neutiqvam poſſe vel qvicqvam hic conferre, in aprico eſt. A re lædente aut ejusdem qvalitate nihil expectandum ſalutis eſſe, vel id argumento eſt, qvod in ὁπλιατρίᾳ cenſeatur perinde, utrum gladius, an lignum, an aliud qvid, modò ſit ſangvine vulneris commaculatum, obligetur. In ungvine igitur & ſangvine reſiduo vertitur forſitan rei totius cardo? Ungvinis, cum & ipſius non una detur conficiendi ratio, aliis tantum pingvedinem porcinam, aliis lardum ſumentibus & usneam omittentibus prorſus, aliis aliud eligentibus, nulla & hic ſuppetit ſubſidii anchora. Sunt tamen, qvi arbitrantur, in usnea rei totius ſummam eſſe poſitam, qvod in hanc ceu coâgulum (ex illorum qvidem hypotheſi) ſpiritus vitales pariter ac animales ſint agmine tanqvam facto compacti, qvorundemq; beneficio vis Medica derivetur ad partem affectum. Sed erroneam eſſe illam opinionem, vel qvivis intelligit cordatior: Homine etenim mortuo nullos eſſe ſpiritus neq; vitales neq; animales in partibus ſuperſtites, vel pueri philoſophantium nôrunt. De ſangvine ipſo vel cruore potius res plana ſatis eſt. Neq; enim hic ſive qvantitate ſive qvalitate facere poterit tanto ſatis paradoxo.

Si

Si enim qvalitas ſpectetur ſangvinis, cur non ſuccurrimus parti potiori in terram projectæ? ſin qvalitas, nec ipſa videtur conveniens; cum vis ſangvinis vigorq́; præcipuus verſetur in particulis illis ſeu corpuſculis tenuibus pariter ac ſpirituoſis, qvæ dudum evolârunt in auras, hinc parum videtur aut nihil potius vigoris ineſſe cruori illi reſiduo: Cum ſangvis extra corpus noſtrum & vaſa ſua contentus virginis inſtar ſit defloratæ, (ut ille ait) nec ſangvinis ipſius titulum jure amplius tueatur. Periculum igitur, ex illorum qvidem principiis, foret, ne qvid detrimenti potius qvàm commodi obtingeret parti læſæ ex cruore illo corpuſculis ſuis ſpirituoſis ac volatilibus penitus orbato. Qvod ſi enim ſtantibus hoplochriſtarum hypotheſibus prout malè vel bene tractetur ſangvis, vel in enſe vel alibi relictus, rectius habiturus ſit aut ſecus, qvid qvæſo futurum eſſet de cruore illo, qvi tot fuit alterationibus aëris expoſitus? Anne damni plus inde, qvàm commodi eſſet parti affectæ expectandum? Ex qvibus vel obiter libatis diſcere omnino licet, neq́; in inſtrumento, neq́; in ungvine, neq́; in cruore relicto ſolis & ſeorſim conſideratis qvicqvam ſalutis latere aut ſubſidii. De conjunctis igitur, (qvatenus ſangvis vel in

enſe

enſe vel alibi relictus cum ungvento illo ſive ſympathetico ſive armario miſceatur) qvid ſit ſentiendum, ulterioris nunc eſt indaginis. Exiſtimant: qvippe hoplochriſtæ, atomos ſangvinis in enſe aut linteolo relicti ad partem affectam ungvinis ipſius beneficio deferri. Sed illam qvoq; opinionem talo inniti imbecilliore, facile ex contrario probatu eſt. Cave enim credas, mali qvicqvam vulneri obtingere, ſi vel igni vel alii alterationi exponatur ſangvis in linteolo reſiduus. Qvod perſvadere qvidem conantur adverſarii, rati fore ut ſi linteolum vel cultellus, vel aliud qvid ſangvine vulneris fædatum; ſi excrementa item ſive urina ſive alvi fæces igni committantur, hinc in ventre, illinc in parte affectâ dolores naſcantur exqviſitiſſimi. Sed nullis ſuffulciri fundamentis hanc ſententiam, in me ipſo didici non ſemel, qvi vanæ hujus ſive opinionis ſive erroris deludendi linteolo ſangvine digiti mei vulnerari conſperſo de induſtriâ in ignem conjectô, nulla adaucti doloris indicia deprehendi. Solet ex urinâ puerorum aut adultiorum ſal aliqvod chymicum ad ignis uti vocant, philoſophiam concinnari. Sed neq; pueri, neq; adultiores, vel qvicqvam inde doloris ſentiunt. Capillos abſciſſos ignis violentiæ

lentiæ committere freqventiſſimè ſolent puellæ, ſed dolores fuiſſe capitis inde obortas, nunqvam audivi. Cum tamen corporis partes eſſe propriè dictas, qvod æqvè ac aliæ partes nutriantur ſangvine, capillos; dudum applauſum meruerit in ſcholâ Medicâ. Hactenus dictum eſt de rebus ad actum ipſum curationis hopliatricæ concurrentibus. Nunc de modo qvoq; agendi perpaucis. Modum qvod attinet agendi, an intra limites naturæ conſiſtat, nec ne, controverſiæ totius ſumma eò videtur redire, qvomodo ex longinqvo qveat, ex tot interdum milliaribus vis tanta communicari. Qvandoqvidem agentis fiat ad patiens applicatio, certaqve detur inter utrumqve diſtantia neceſſe eſt. Qvæ ut cognoſcantur plenius, duplicem eſſe illam applicationem, vel mediatam vel immediatam, probè meretur annotari: Hæc contactu fit immediatô illa mediantibus atomis. Immediatam hic non dari, cum extra controverſiam ſit, omne ſententiæ ſuæ robur in mediatâ collocant ungventi hujus admiratores, rati, ſangvinis in enſe aut alibi hærentis atomos, mediante aëre transferri ad partem vulneratam, in itineris ejusdem ſocietatem ſe offerentibus, ungventi ſæpius dicti aut Vitrioli tantum atomis, qvarum beneficio

vulnus in dies reſtituatur paulatim. Sed qvantum à veritate aberret hæc opinio, nemo non videt, extremis tantum philoſophiæ lineolis imbutus. Præprimis ſi ex ipſo *Carthefio*, unde lucem huic ſententiæ fænerari vel maximè conantur adverſarii, præſupponat, motum poſſe atomorum cum occurſu aliarum impediri, tum à ventis diſſipari. Prius conſtat, cum figurarum intuitu diverſarum, qvibus inſtructæ ſunt atomi, aliæ ab aliis impediantur; ſic motus tenuiorum retardatur ab atomis craſſioribus, rigidis figuris ac oblongis gaudentibus. Qvæ ſi accommodaveris ad præſens negotium, qvid futurum eſt de atomis cruoris relicti. Qvot qvæſo atomi configurationis diverſæ, qvibus aër refertus undiqvaq; eſt, obviam his venient qvarum aliæ in tam longô itinere motum retardabunt; aliæ aliò abripient ſecum. Poſterius & ipſum eſt manifeſtum, ſi ex *Carthefio*, (hujus enim principiis utor lubens, ut ſuô gladiô interimam adverſarios) recolamus genuinam ventorum generationem; fit etenim, ut, ſi vel pluvia vel aliud generetur meteoron; aliæ atq; aliæ atomi cum impetu occupent locum illum vacuum, atq; adeò jam tum oriantur venti. Si hæc igitur ſors maneat atomos, qvibus qvæſo

hæ

hæ privilegiis gaudebunt præ reliqvis, in primis in tam longô itineris anfractu. An figurarum fortean ſimilium intuitu tam arcta incedit copula nexusq; atomorum ſangvinis in enſe, cultro, aut id genus aliô reſidentis, cum reliqvo ejusdem corporis aut vulneris ſangvine, ut ad idem, unde egreſſæ ſunt corpus, opus ſit reditu. Arqvi hoc vero minus videtur ſimile; ſic enim viciſſitudo rerum, accretio ac imminuto aut tolleretur aut confuderetur certè. Qvippe corpus noſtrum creſceret in immenſum; ſi excrementorum atomi, & qvicqvid emanavit ex corpore, ad idem affectarent reditum. Neq; verò eſt, qvod magneticam ſtatuas hujusmodi attractionem. Cum nec hoc faciat ad tantæ rei probationem. In qvo igitur qvæſo vis illa Magnetica? Anne convenientia qvâdam opus eſt inter attrahens & inter attractum? ſive craſeos ſimilitudini, ad mentem Galeni, ortum ſuum referat illa affinitas, ſive harmonicis atomorum figuris, ſi facere cum *Carthefio* velis. Utrum arripias, in eandem incides labyrinthum, ſi applicatio fiat ad ὁπλιατρίαν: Qvæ enim craſeos affinitas aut convenientia atomorum eſt inter ſangvinem in corpore adhuc contentum, & inter cruorem, ſuo prorſus vigore ac ſpiritibus exutum.

 Labe-

Labefactari aliàs poteſt mirum in modum (ipſo teſte *Carthesio*) vis Magnetica vel aëris humiditate aut rubigine ferri. Ipſa verba Philoſophi hujus ſubtilioris ſunt. *Vis magnetica humiditate, rubigine ac ſitu valde minuitur, & valido igne planè deletur. Rubigo enim ex ferri ramentis efflorescens, meatuum orificia occludit, idemq; præſtat aëris humiditas & ſitus, qvia rubiginis initia ſunt. Ignis autem agitatio iſtorum ramentorum poſitionem planè diſturbat.* Qvæ ſi accommodaveris ad rem præſentem, qvid videtur dicendum de cruore illo corrupto, arefacto, & corpuſculis ſuis tenuibus pariter ac volatilibus penitus deſtituto. Qvod ſi eadem priſtinum repeterent diverſorium, poſt ſuum inde diſceſſum tam longè immutata, an & aptos ibi ac convenientes reperirent meatus? plus eqvidem detrimenti arbitror inde vulnus eſſe qvàm ſalutis accepturum. Sangvinis etenim intuitu in vaſis ſuis contenti, heterogenei veluti vicem cruor videtur ſuſtinere, cujus inter alia index eſt ingens diverſitas, qvæ in utroq; cernitur, coloris. Neqve verò de Vitriolo, qvod ad hunc curationis actum trahit Illuſtriſſimus *Digbhæus*, fingenda vis eſt magnetica, ſi conferatur ad ſangvinem noſtrum. Qvippe ſangvis noſter & ſubtilior & ſpirituoſior,

ſior, & ſale juxtà ac Sulphure prægnans eſt inſigniter, unde ipſe cordis, qvem pulſum appellant, motus, ſuos deducit natales. Vitriolum verò ad mentem qvidem Carthesianam, & anguloſis gaudet atomis & rigidis permultis. Qvid? qvod ſpiritus Vitrioli à temperie ſangvinis animalium adeò videatur diſſidere, ut copia ſat magnâ in animalium venam adhuc viventium immiſſus totam maſſam cöagulet. At vero fac, medicaminis inſtar arcani Vitriolum eſſe vulneribus conſolidandis: Ad rem autem noſtram qvomodo id faciat, non video. Cum ipſi potius vulneri jam tum immediatè videretur adhibendum, ſi tot ac tantis ſe commendaret dotibus: Neq; verò hæc vim ejus, de qvâ qvæſtio eſt, arguunt magneticam. Sed expectanda vis fortean magnetica ab usneâ eſt? Neutiqvam. Si enim non à cruore, multo minus à muſcho illo corrupto. Sunt qvoqve qvi ſpiritum mundi comminiſcuntur illarum atomorum vectorem: Sed neqve hunc huic ſufficere probationi, in proclivi eſt colligere: qvod ſpiritu illo admiſſo, ceu atomorum hujusmodi vectore, inſignis naſceretur rerum omnium confuſio. Si enim attrahantur atomi & ſangvinis (vel in enſe aut linteolo aut alibi reſidui) & ungvinis;

 qvid-

qvidni & aliarum rerum? niſi dixeris citra rationem, juris ſibi nonnihil ac privilegii has ſumere præ reliqvis. Hic utiq; ſpiritus ſphæram tolleret activitatis hoc eſt certam inter agens & patiens diſtantiam nemini non obviam. Non enim poteſt, qvæ Romæ graſſatur, peſtis, Hamburgi aut Bremæ agentes inficere. Nec audiendi qvoq; ſunt, qvi contra hanc ſphæram activitatis exempla objiciant unum item & alterum, qvæ extra hos limites putant vagari; in qvibus colligendis operoſus admodum fuit Servius in tractat: de ungvento armario. Sed falluntur mirum eſt qvantum, nec qvicqvam dictis detrahunt hactenus. Qvæ de felibus adferuntur Servio, qvod ciſtulæ etiam incurſarum præſentia adeò commoveantur nonnulli, ut niſi locum mutent, aut animi deliqvium ipſum patiantur, aut parum certè abſint; vel parum faciunt vel nihil potius ad tantum errorem ritè tuendum. Cum multô hic pacto certa inter agens & patiens diſtantia tollatur. Si enim juſtò remotior fuerit felis, neutiqvam commovebit diſpoſitos ejus præſentia. Neq; verò ratio fugit (lubet id obiter attexere hic, & tanqvam aliud agenti) naturæ conſultos recentiores, qvibus cum Sulphur, qvô feles abundant, fætidum,

tum

tum peculiaris nervorum olfactoriorum in hoc aut illo conſtitutio (unde hic facilius afficitur, ille difficilius) ſolet accuſari. Nec ſententiæ noſtræ obſtant maculæ, qvæ infantibus ſolent à matribus interdum inprimi tempore geſtationis, qvarum originem ab imaginatione matris fortiori unô ore arceſſunt Medici fermè omnes, commodè minus modum ipſum explicantes. Non enim, ſi loqvi velis accuratius, harum formatrix macularum eſt ipſa imaginatio matris, cum virtuti ſeminis plaſticæ debeatur totum formationis negotium; qvæ dum tota occupatur in fætus ſingulis partibus, earumqve & ſitu & concentu ritè & affabrè formandis, jam tum matris imaginatio, ſive pictæ rei ſive viventis aſpectu deformioris aut perterrefactæ, aut aliô modô affectæ poteſt negotium agentis interturbare, ut exempli gr. qvinq; loco digitorum aut ſex effingat in altera manu; aut aliô modô aberret à ſcopo. Ad eum ferme modum, ac ſi qvis rectam ducturus lineolam, manu aut brachiô ejus protrusô, rectæ, qvam intendit, lineolæ loco, aut curvam ducat, aut certè obliqvam. Qvibus rectius expenſis, qvid eſt, qvod maculas à rei illius, qvâ prægnans afficitur, atomis derivemus. Qvid qvæſo dicemus, ſi in defectu

committatur error: ſi ex. gr. qvinq; loco digitorum tres tantum fingantur in ulterâ manu? An & hic locus eſt atomorum attractioni? omnia qvidem, qvæ faciunt ad formationem ſive animalis ſive vegetabilis, ſive aliarum rerum hujus univerſi inſignem merentur admirationem. Interim de modo agendi naturali non poteſt non conſtare. Ex qvibus nunc liqvet, juſtò peti longius ſi ab atomis rei ejusdem, qvâ gravida percellitur, maculas velis, fœtui tempore geſtationis impreſſas deducere, Cum vel ſolâ picturâ deformiore mater conterrita fœditatem fœtui qveat inprimere, vel potius in cauſa eſſe, ut error patretur à virtute πλαστικῇ in hoc formationis negotio. Sed qvid illæ maculæ ad rhombum? Nullam enim hanc eſſe collectionem, (mater maculas poteſt imaginatione inprimere fœtui, Ergò vis ungventi, uti vocant, armarii per tot milliaria poteſt ad partem affectam transfundi) vel pueri nôrunt Logicorum. Canes heros ſuos poſſe per atomos in veſtigiis relictas inveſtigare, neqve ullo unqvam pacto ſententiæ noſtræ officere, neq; legitimam agentis & patientis diſtantiam videtur negare. Reperiuntur qvoqve in ipſo vegetabilium cenſu, qvæ primâ fronte nonnihil videntur negotii faceſ-

ſere,

ſere, ſed perſpecta penitius, nec ipſa adverſantur nobis, nec difficilia ſolutu ſunt. Qvæ in eliotropio circumrotatio, oppidò videtur mirabilis. Fertur enim cum ſole ſideris veluti deſiderio circumagi. Sed aut in plantæ ipſius imbecillitate, qvâ fit, ut à ſolis calore alliciatur (uti ſcitè explicat *Gaſſendus* in philoſ. Epicuri reformat) aut in inclinatione qvâdam naturæ, cui alias debetur, (teſte *Coſtæo* de univerſ. ſtirpium naturâ lib. 1. cap. 4.) ut ad ſuum qvæq; elementa locum ferantur, cauſa hujus rei qværenda eſt. Notæ ferme ejusdem ſunt, qvæ de arbore pudicâ & de agno vegetabili ſolent circumferri, qvorum hic partem animalis, partem plantæ creditur referre; illa verò hominis acceſſu folia ſua contrahere, eademq; receſſu ejusdem expandere. Sed & hic pedibus viſa eſt via. Sic enim veræ ſunt, qvas putant nonnulli in fabulis numerandas, hiſtoriæ, zoophytorum albo videntur utraqve cum arbor pudica, tum agnus vegetabilis adſcribenda. Taceo alia, qvæ ad tantæ rei probationem *Servio* depromunt ex regno vegetabili naturæ myſteria, ab ipſo probationis ſcopo prorſus aliena. Non enim inficiamur ipſi, abditos dari naturæ ipſius receſſus, ſed modum defendimus agendi, naturæ legibus confor-

mem: hoc eſt certos naturæ limites, qvibus aut ſublatis aut juſto certè latius extenſis, qvid naturale inter ac ſupranaturale, qvid opera naturæ & inter miracula interſit, non video. Qvæ porro cum de canibus carnificum famulos, & qvicqvid de grege illorum eſt, allatrantibus; tum de fæminâ mirabili fluxu urinæ laborante Servius, ſatis neutiqvam faciunt tantæ rei probandæ: Cum in illis cauſa ſit in aprico. Aſſeqvuntur etenim canes illi ſagaci ſuo odoratu canum atomos excoriatorum in veſtibus carnificum hærentes; unde irritati obvios perſeqvuntur occiſores, etiam nunqvam ſibi antea viſos. In hac verò tam mirabilis cauſa ſymptomatis & ipſa qvidem mirabilis eſt, ſed intra limites naturæ conſtituta. Qvod ſi enim per integros annos diarrhæa poteſt in nonnullis ſat larga protrahi; qvid ni, ſi ebullitio lymphæ contingat, ad vias qvoqve urinarias ſerum poteſt ex toto corpore ſubinde derivari? Aut ſi τὸ Θεῖον (qvod in morbis nonnullis reperiri præter *Hippocratem* diſcimus ex *Conringii* Epiſtolâ ad Jordanum) hic dicimus ſubeſſe, loci alterius eſt hæc conſideratio; cum hic agatur tantum, qvousqve vis & facultas pateat naturalis. Qvæ allata hactenus ſunt ex *Servio*, fugere arbitror neminem, qvàm

longè

longè, qvotq; à ſcopo diſſideant paſſibus. Qvæ verò de naſo ipſi referuntur factitio, qvi ex carne alterius appoſitus ritè fertur cöaluiſſe vi caloris nativi; Sed defuncto eôdem, ex qvo ſumpta caro eſt, & ipſe potuiſſe eveſtigiò; ad rem videntur propius accedere. Verum & hic ſuppetit reſponſio. Cum alii hanc fabulam potius cenſeant, qvàm veram hiſtoriam; alii caſu tantum id contigiſſe; cum aliis, qvibus ex alienâ carne naſus eſt reformatus, idem non acciderit. Poſterius qvoq; confirmat Magnus *Conringius* lib. 2. cap. 4. de Hermetic. Medicin. Cujus verba digna ſunt, qvæ huc adſcribantur: *Qvod duodecimo* (ait) *loco affertur* (occurrit autem exemplis à *Servio* allatis) *octuageſimum ſecundum miraculum caſu tantum contigiſſe, argumento eſt, qvod aliis, qvibus ex alienâ carne naſus eſt reſtitutus, idem non acciderit, nec contingat ulli arbori enatæ per inſitionem rami alicujus avulſi.* Et verò jure videntur hic, qvæ vera de arboribus ſunt, convenire: cum æqvè cadat in plantas, ac in animalia, vita, ſanitas, morbus, mors deniqve ipſa. Gradu qvantumvis impari, cum vita longè in animalibus ſit, qvàm in plantis præſtantior. Qvâ de re actum à nobis Jenæ qvondam eſt in diſput. de vitâ & ſanitat. plantar:

Sed

Sed hic qvoq; arguunt à partis interitu ad deſtructionem totius. Teſtem enim laudant experientiam, penitus interiiſſe ſive frutices ſive arbuſculas integras, qvod ſurculi inde abſciſſi defunctorum loculis fuerint mandati. Sed & hoc caſu obtigiſſe tantum, tot contraria, qvæ experientiâ ſubinde qvotidianâ conſtant, erudiunt exempla. Qvodſi enim ſurculi arboribus avulſi, & loculis defunctorum commiſſi vi qvâdam ſympatheticâ toti poſſunt arbori labem aſpergere; Qvidni & ipſi pari operâ, & avulſi, & conjecti in ignem mali nonnihil toti arbori communicarent. Sed à vero abludere poſterius, argumento eſt, qvod ramis unô item & altero combuſtis nihil derogetur totius vigori. Ergo & de prioris veritate jure merito eſt dubitandum. Neqve verò, ſi à plantis etiam ad hominem pergamus, huic locus relinqvitur collectioni. Non enim ibi partis alicujus interitus, totius arguit corruptionem. Exempla ſententiæ noſtræ faventia non petenda longius ſunt, cum domi ſuppetant abundè. Qvot enim videas, manu alterâ abſciſsâ, & arefactâ dudum, ipſos eſſe nihilominus ſuperſtites. Novi virum oppidò ſenem, (cui anno ætatis ſuæ trigeſimo altera manus abſciſſa eſt) qvi vitam exegit cæteroqvin ſanus

ad

ad annum ætatis octogeſimum. Ex qvibus omnibus nunc in propatulo eſt, frivola ac de nihilo eſſe, qvæ de ungvento armario ſolent circumferri, de qvo non ero longior, cum Deo ſic dante peculiarem deſtinaverim commentarium.

Artic. II. Cap. II. Sect. I.

De transplantatione morborum.

TRansplantatio morborum videtur in eo convenire cum curatione armaria, qvod & vis in utroq; magnetica vulgo & ex longinqvo credatur communicari. Unde alterum ex alterius refutatione nonnihil poteſt lucis accipere. Qvocirca & ipſi eò hic erimus breviores, qvò rei illius controverſia (in hoc qvidem paſſu, qvod limites naturæ juſtò latius non ſint extendendi, certaq; detur ſphæra activitatis) ſopiri inde poteſt plenius. Transplantatio autem morborum dicitur, qvando morbi ab homine ad plantam vel bruta creduntur transferri. Non qvidem morbus ipſe qvà talis (accuratius velint loqvi) ſed ejus materia, cum ex ſtatutis Philoſophorum accidens, qvale morbus eſt, non poſſit de ſubjecto in ſubjectum migrare, niſi velint cum illo, qvi inter accidens & ſubſtantiam neſciens diſtingve-

ſtingvere, febrim vidit in parietem projectam, eundem fovere errorem. Qvibus nunc miſſis verbornm corticibus, ad rei nucleum ipſius progrediemur, contemplaturi, qvot modis gaudeat transplantatio, & qvid de eâ ſit ſentiendum. Curationem hanc inſtituendi ritus non unus idemq; eſt, ſed pro varietate cum authorum tum morborum, & ipſe eſt varius. Sic alius obtinet in podagrâ alius in pleuritide, alius in febribus, alius in affectibus ſpleneticis, alius in aliis. Podagram transplantandi modũ ex manuſcripto *Wechneri* refert *Timæus von Guldenklee* lib. 5. Epiſt. Medicinal. VIII. verba germanica hæc ſunt: *Wann das letzte Viertel des Monden eingetretten iſt, den andern Tag hernach ſo baue von einer friſchen Weiden einen Aaſt, behaue und richt ihn zu in allen, wie man die jungen Setzweiden pfleget zu machen, laſſe dem* Patienten *auch an dieſem Tage* circa locum affectum *Köpffe ſetzen, und ſchröpffen, und habe dabey ſtehen einen groſſen Topff, der über die helffte mit des* Patienten *Urin, welche er einen Tag oder zwey zuvor ſamlen mus, gefullet ſey, thue das Bluth in den Köpffen, alsbald es ausgezogen, in den Topff zu denn Urin, und rühre es woll untereinander, das thue, ſo lange die Köpffe geben, lege alldann in dieſem Topff die Satzweiden mit dem ende,*

damit

damit ſie in die Erde geſetzet wirdt, laß ſie darinnen liegen bis drey Tage vor den neuen Monden, alsdann mache ein Loch, etwa ſo weit als die Satzweide iſt in die Erde, gieſſe den Urin ſampt dem Bluth hinein, und ſetze die SatzWeide darin, beſchutte es mit Erde und laß ſie alſo ſtehen. Wann vier Wochen verfl.ſſen, abermahl drey Tage vor den neuen Mondt, ſo ſchröpffe hinwieder alſo, thue das Bluth in neuen Urin, miſche es woll, und reume ein wenig oben umb die vorige Satzweide, geuß es aldann auch dazu, und das thue über vier Wochen abermahl, ſo bringeſtu das Podagra *vom Menſchen hinweck, und* curireſt *ihn gantz* feliciter. Hactenus *Wechnerus*. Modi alterius, qvi in pleuritide transplantandâ ſtudioſo cuidam Paracelſico familiaris fuit, mentionem facit *Andreas Libavius* in tractatu de ungvento armario his verbis. *Cum annô à nato Chriſtô 1588. Jenam veniſſemus, divertisſemusq́, ad Georgium Metzerum, Amicum noſtrum, ſcholæ trivialis conrectorem, accepimus, dolorem lateris, qvô affligebatur filia, à ſtudioſo Paracelſico curari tentatum herbâ qvâdam coctâ (ni fallimur) hydropi pere aut perſicariâ, applicatâ lateri, & deinde ad putreſcendum defoſſâ. Qvaſi futurum foret, ut corruptâ per putredinem iſtâ, ſimul periturus eſſet morbus. Idem probabiliter incredulæ puellæ*

puellæ voluit perſuadere, id fieri familiaritate qvâdam & affluxu virtutis. Hæc ille. In febribus transplantandis non unus idemq; modus ſolemnis mulierculis eſt. Aliæ certum aliqvod cataplasma, carpis manum viginti & 4. horarum ſpatium applicatum ſilentes removent, & vel aqvæ committunt, aut ad putreſcendum defodiunt, aut macerant fumo. Aliæ (teſte Incomparabili *Bartholino* lib. de domeſtic. Danor. Medic. diſſert. 4.) febres curant per transplantationem, ſuſpenſo arboribus lini faſciculo. Aliæ aliter. In lienis affectibus per transplantationem curandis iisdem ferme utuntur deliriis. Judæus aliqvis (teſte Libavio l. c.) morbi ſplenetici curationem per transplantationem & citiorem pollicebatur & faciliorem, ſi corticem juglandis ſpleni applicatum maceraret fumo. Neqve verò tantum ab homine in plantas, ſed & in bruta morbos tranferendi mos familiaris eſt. Jenæ cum agerem, retulit mihi Honeſtiſſima matrona, Medico ſibi cognato febres oppidò pertinaces, omnemq; artis & artificum induſtriam eludentes, transferendi in canes hunc fuiſſe morem, ut panem toſtum, ac urinâ ægri probè maceratum cahi propinaret edendum; qvi abſumpto hoc pane, ægrotare jam tum

cœpit

cœpit admodum, nec non interire interdum, ægro interea feliciter reſtituto. Modô transplantationis nunc in uno item & altero morborum obiter veluti ac breviter adumbrato, porro oportet, qvid ſentiendum de transplantatione ſit, & qvousqve limites porrigantur naturæ, expendamus. (Qvamvis poſſemus hanc litem dimittere qvodammodo ad articulum de ungvento armario priorem; cum qvæ allata ibi fuerint ad refutationem, pleraq; etiam huc videantur convenire.) Non dicam autem, qvod Ariſtotelicis pariter ac chymicis principiis transplantatio reluctetur prorſus, cum fugere id qveat neutiqvam vel eos, qvi primas tantum lineas in philoſophiâ utraq; duxerunt. Sed transcurſim & tanqvam aliud agentes tangemus, ſententiæ utriusqve ungventi armarii juxtà ac transplantationis aſſertores, cum vim utriq; magneticam exiſtiment ineſſe, ſibi videri ipſis contradicere. Meditationis qvippe fautores armariæ, (uti patet ex Comitis Illuſtrisſimi *Digbbæi* tractatu) ſtatuunt, rectius vel ſecus ſe habiturum vulnus, prout malè vel bene tractetur ſangvis in linteolo relictus. Hinc fore arbitrantur, ut, ſi igni exponatur linteolum, dolores ſatis exqviſiti oriantur in parte affectâ. Sin verò aqvæ

immergatur frigidiori Vitriolatæ, ingens mitigatio. Stantibus his fundamentis (lubet enim more logicorum ex principiis arguere falſiſſimis, ut ad abſurdum deducantur adverſarii) in proclivi eſt colligere, plus detrimenti qvàm commodi ægrum eſſe accepturum, ex transplantationum modis paulò antè recenſitis; ſive ſit plantarum defoſſio, ſive earundem maceratio in fumo, utraq; enim, vi hypotheſeos modò allatæ, malum videtur ægris minari. Herba enim in pleuritide (ut ſic occurramus exemplis) puellæ lateri impoſita, & ad putreſcendum defoſſa, multum videtur vitii communicare toti ægræ ipſius corpori. Si enim atomi ſangvinis in linteolo aut enſe relicti alliciuntur ad vulnus, eiq; virtute ungventi illius ſympathetici, cujus atomi & ipſæ itineris ejusdem appetunt ſocietatem, mirum proſunt in modum. Qvidni pari negotio atomi è contrario ab herba parti affectæ & impoſitâ & pòſt putrefactâ evolantes noxæ afferrent nonnihil parti dolenti? Si ſurculus lavendulæ aut roſmarini (qvod in ungventi probatione armarii urgent nonnulli) & reciſus, & loculis adjunctus mortuorum totum qveat fruticem depravare: Qvidni ſangvis & urina podagricorum defoſſa & putrefacta atomis ſuis pravis toti

toti ſangvini vi qvâdam magneticâ communicatis augerent potius, qvàm imminuerent dolores. Pari facilitate reliqva licet exempla, cum modus ferme idem ſit transplantandi, diluere. Neqve verò eſt, qvod regerant adverſarii, herbam defoſſam vi qvâdam magnetica paulatim attrahere reliqvam morbi materiam. Unde qvæſo transplantationi hoc contigit privilegium præ ungvento armario, in cujus curatione & ſangvinis atomi in inſtrumento reſidui & ungventi ad partem vulneratam creduntur dirigere itineris ſui curſum? In transplantatione igitur qvomodo motus atomorum contrarius qveat admitti, non video? Ex dictis nunc hactenus patet, qvàm abſurda ſit de transplantatione opinio. Concludemus igitur hunc articulum verbis *Timæi von Guldenklee*, de transplantatione loqventis loco antè citato, ſeqventibus: *curationes hæ*, (inqvit) *mihi valde ſunt ſuſpectæ, & videntur ſuperſtitioſum qvid vel Magicum alere. Multa enim, ut rectè monet Sennertus, lib. de conſ. & diſſens: c. 18. Superſtitioſa & Magica, & qvæ vel ab imaginatione vel à cauſa ſuperiore, & pacto ſeu explicito ſeu implicito cum Diabolo pendent, pro magneticis venditantur. Tutius eſſe puto, Medicum Chriſtianum à talibus abſtinere, & remediis in-*

hærere, qvorum ratio reddi poteſt, vel ſicubi iis, qvæ occultis qvalitatibus agunt, utendum; tamen, an à vi naturali, an à Diabolicâ poteſtate fiant, diligenter diſpicere. Hactenus *Timæus*. Et tantum de transplantatione.

CAP. III. SECTION. I. tradit, An in amuletis Arcana ſint qværenda?

Et qvidem Artic. I. Agit de Amuletis, qvæ conſtant ex medicamentis Salutiferis.

AMuleta non ſunt unius generis, alia ſunt ſimplicia, alia compoſita. Alia ex ſalutiferis conſtant, alia ex deleteriis. De illis in præſenti, de his in ſeqventi agetur articulo. De ſalutiferis illis non eſt qvod dubites, qvin ſuo gaudeant fructu. Hinc qvæ aut carpis manuum aut regioni cordis conſueverunt applicari, & magna merentur elogia, & lucis accipiunt multum ex doctrina de circulatione ſangvinis Harvejanâ, præprimis ſi carpis manuum (ubi copioſæ venarum anaſtomoſes reperiuntur) aut regioni cordis, aut id genus ſimilibus locis apponantur. Fit enim jam tum inſig-

inſignis alteratio ſangvinis pro virtute medicaminis vel majore vel minore. Qvæ motus beneficio circulanis non poteſt non cordi & inde tanqvam à fonte reliqvis corporis noſtri partibus impertiri ceu rivulis. Hinc mira cernitur haut rarò vis ac efficacia, de qva infra agetur, Deo ſic dante fuſius. Neq; non dictis noſtris favet experientia tam proba rerum Magiſtra. Pæoniæ radicem de collo ſuſpenſam mirificos attuliſſe fructus epilepſiæ infantis cujusdam, commemoràt *Fuſchius* in inſtitutionibus ſuis Botanicis uſum Caſtorei exteriorem mirificum fæmellæ hyſtericæ fructum attuliſſe interiorem contrà noxam recenſet Incomparabilis *Thomas Bartholinus* de domeſticâ Danorum Medicinâ. Radicem chelidonii minoris in dolore hæmorrhoidali loco amuleti geſtari, teſtis eſt Cl. *Hofmannus* lib. 2. de officinal. cap. LXIII. lapidem ætitem brachio alligatum abortum prohibere; femori verò partum promovere difficilem. Idem author eſt in paralipom: Officinal. cap. LXXIX. Oſſicula bufonum fronti appoſita hæmorrhagiæ creduntur mederi. Saphiri geſtatio ad peſtis virulentiam averruncandam conferre creditur Helmontio *tom. I. de Magneticâ vulnerum curatione. t. 37.* Carpis infantum

febre intermittente laborantium ipſe jubere ſolitus ſum abſinthium cum ſale & aceto macceratum apponi. Sunt, qvi in febribus (teſte Magno *Bartholino* l. c.) carpis ægrotantium auriculam muris folia burſæ paſtoris corticem ramorum nucis interiorem, ſempervivum aceto vel ſale macerata jubent applicari. Horum omnium qvamvis tutus ſit uſus, & extra omnem periculi jactum poſitus, non negârim tamen exemplorum antè allatorum, alia qvidem vera eſſe, alia ſuperſtitioſa, & effectui, qvi aſcribitur, minus reſpondere, adeoq; locum invenire Magni illud *Rolfincii* lib. 6. Sect. XVIII. cap. 3. chim. in art. form. redact. probè monentis, *ut ne qvis ſolis illis amuletis fidat, ſed in ſubſidium interna alexipharmaca vocet.* Et tantum de amuletis ſalutifeceris.

Artic. II. Cap. III. Sect. I.

Agit de amuletis, qvæ conſtant ex deleteriis.

EX deleteriis qvæ concinnata ſunt amuleta benè multis audiunt, qvod virus in aëre latitans, ſive ſimilitudine ſive Magnetica virtute creduntur attrahere: Hinc miris extolluntur laudum encomiis, peſtis averruncandæ gratiâ geſtata, vel ex arſenico vel ex mercurio. Unde

Unde *Jordanus* tract. 3. de peſte c. 9. (citante *Unzero* de peſte lib. 2. cap. 9.) *ſicut flamma inqvit major ad ſe attrahit minorem; ita qvicqvid in aëre extat virulentiæ tanqvam ad ſui ſimile confugit nempe arſenicum, vel ab hoc ita pellicitur, & illi mordicus obſervando ſpirationi minimè attrahitur intra corpus.* Andreæ *Cæſalpino* Mercurius æqvè ac arſenicum utrumq; audiunt bene, ſi uſus veniat exterior in lue peſtifera feliciter abigendâ. Verba ejus, cum rei lucem ipſi videantur facere, digna ſunt, qvæ hic recitentur. *Ut autem* (inqvit) *qvis tutò verſari inter infectos, & contrectare poßit res peſtilentes, hodie compertum eſt remedium, extrahens evaporationes virulentas, ſi applicetur ad arterias in carpo, & ad regionem cordis pulvis auripigmenti aut ſublimati, addito croco aut caryophillis aut cinamomo aut ſimilibus incluſis omnibus in ſacculum ſericum, ne partem exulcerent.* Hactenus ille. Qvæ qvidem altius & rectâ mecum viâ reputanti à vero videntur nimium qvantum diſſidere. De virtute enim magnetica arſenici, qvâ venenum in corpore latens tempore peſtis attrahere creditur, ut magnes ferrum, jure merito dubitatur. Qvamvis enim inter ſe conveniant magis venena, & plus huic veneno cum illo commercii in-

tercedat aut affinitatis, qvàm cum medicamentis: Datur tamen diſtincta unius cujusq; veneni indoles: Ipſius peſtis qvis genius ſit, qvæ natura diverſa, qviq; variet pro locorum & temporum varietate, arguit diverſiſſimus ſymptomatum comitatus. At verò fac vim ineſſe Magneticam virus attrahendi peſtilentiale, neutiqvam tamen è re videtur ſanitatis, deleteria, qvæq; ſanitati & vitæ adeò ipſi ingens minantur periculum, in uſum vocare, ubi tutiorum ſuppetit copia. Qvid opus eſt veſci grandibus, qvando frugum datur ubertas. Domi tutiora ſunt, qvæqve manifeſtis agunt qvalitatibus, non eſt igitur, ut foris petamus longius, & deleteria & periculoſa inſigniter. Conſtat qvippe in vulgus, corpora poroſa (qvalia ſunt cœpe allium & alia ejusdem commatis) ſat largiter imbibere atomos illas, tempore peſtis in aëre hærentes venenatas. Sed redeo ad arſenicum, qvod qvamvis atomos attrahat ex aere malignas; An non viæ patent undiq;, aut acceſſus, per qvos atomi illæ peſtilentiales immittantur in corpus noſtrum; qvas vel ſingulis momentis ipſo aëris hauſtu corpuſculis hujusmodi ſeu ſeminariis undiqvaqve referti tamq; ore qvàm naribus attracti admittimus & largiter & ubertim.

Qvod

Qvod nemo negaverit prudens. At verò fac, neq; ore neq; naribus (qvod tamen nemo non videt falſisſimum eſſe) attrahi qvicqvam peſtiferi. Annon arcenici in qvacunq; etiam corporis parte geſtati atomi admodum deleteriæ ſe in poros cutis inſinuando ad cor ipſum poſſunt penetrare? niſi velis in dubium vocare & uſum & fructum medicamentorum omnium exteriorem. Si enim vel ſolo purgantium odore (*teſte Smetio lib. 2. miſcell. c. 60. & Martino Schoockio lib. d. ferment. cap. 28.*) alvus fuerit nonnullis largiter ſoluta; qvidni etiam effluvia venenata ex arſenico ſat copioſè expirantia (ſi aut carpo manuum, ubi via datur mediante circulatione ad cor ipſum propior, apponatur; aut regione cordis) noxam adferent ingentem aut vi cauſticâ ſuâ viſcera exulcerando, aut aliud qvid detrimenti ipſis conciliando. Neq; verò eſt, qvod regerant fortean, agere arſenicum nullâ emisſione effluviorum, ſed vi prorſus ſpiritali. Sunt enim, qvi autumant, alia venena nocere effluvii emiſſione hoc eſt virtute corporali, alia ſpiritali tantum. Hinc *Fracaſtor.* lib. 1. de contag. cap. XI. *Venenorum* (inqvit) *eſt duplex genus, alia enim ſpirituali qvalitate enecant, qvalis eſt ſerpentum maxima pars, & catablephæ*

aſpectus, *alia verò materiali qvalitate operantur.* Sed ſive corporali ſive ſpiritali agant virtute, non niſi mediantibus effluviis agant. Qvod Phyſicis exploratiſſimum eſt recentioribus, ſpecies Philoſophorum, per qvas ajunt odorem & id genus ſimilia ſuas exerere virtutes, explodentibus prorſus. Hinc, qvando baſiliſcus viſu fertur hominem enecare, non aſpectui id qvà tali putant tribuendum ſed effluviis venenatis, ex oculis copiosè expirantibus. Qvâ de re prolixior eſt Cl. *Sennertus* in lib. de morb. Occultis. Unde etiam puto deducendum (qvod qvidem παρέργως hic & tantum verbo lubet intertexere) qvod homines alii poſſint oculis ſuis ſpecula inficere; alii cereviſias depravare; qvatenus ex pravis, qvibus abundant, humoribus, pravæ qvoqve atomi ex oculis adeoq; toto Corpore exhalant Sed nec vis ſpiritalis ex mente *Fracaſtorii* antè laudati, competit arſenico aut aliis ejusdem farinæ venenis, ſed illis tantum, qvæ viſu ipſo dicuntur lædere. Et qvamvis utrâqve manu concederem, ſpiritali tantum qvalitate agere arſenicum: Annon igitur (vi ejusdem hypotheſeos) corpori poteſt nocere qvalitate ſuâ ſpiritali. At oggerunt, vicinâ illâ geſtatione cor tandem aſſueſcere veneno. De nihilo eſt hoc

hoc refugium. Poteſt enim hac ratione labem toti corpori inſignem impingere, qvæ ſi non ſtatim pòſt tamen prodat ſe manifeſtisſimè. Qvales in geſtatione mercurii memini non ſemel contigiſſe hiſtorias. Jenæ cum agerem, ſtudioſus qvidam juris me conſuluit, vehementer conqveſtus de dolore capitis, de vertigine freqventiore, de animi deliqvio, & aliis ſymptomatibus gravioribus, qvæ inſtantem epilepſiam omnia videbantur minari. Ipſe cauſam percontaturus qvæſivi ex eô (neſcio qvô fato in id inciderim) utram fortean tempore peſtis amuleti loco geſtaſſet mercurium. Omnino regerebat ille, non peſtis qvidem abigendæ, ſed ſcabiei; ex qvo deinceps deterius cœpi habere. Cui ego ſubridens, O Optime hinc illæ lachrymæ! mali enim hujus fomitem in eô latitare, in me ipſo didiceram admodum puer; cui jam tum ſcabie laboranti mater Svaviſſima (νῦν ἐν ἁγίοις) cingulum ex mercurio ventri curavit affigendum, ſed uſum ejus aliqvantò diuturniorem & pedum tremor excepit & manuum, qvi poſtea Dei gratiâ evanuit cum ætate. In arſenico cum alii ſimiles experti ſint tragædias, id qvoqve ipſis cœpit jure ſuſpectum eſſe, uti diſcimus ex trium Imperatorum Medico *Cratone*. Sic enim ille

ille in Epiſtolâ ad Manavium. *In ſacculis de arſenico nullam rationem reperio præter illam, ut cor veneno aſſueſcat. Qvàm autem hæc infirmæ & periculoſa ſit, & hominem rectæ conſcientiæ ſtudioſum minimè eâ uti deceat, ipſe intelligis. Etiamſi igitur ſexcentos authores, qvi idem fecerint, commemores, mihi non perſuadebis. Ac cum tantopere me urgeas, narro tibi verè, Creckovium ita ex eo debilitatum, atq; in pectore exulceratum fuiſſe, ut cum magna indignatione in arce Gravenſteinianâ ſacculum abjecerit.* Hactenus *Crato.* Idem videtur cum hoc ſentire *Horſtius*, huic decad. 10. qvæſt. 9. de malignis, *nulli* inqvit, *unqvam amuletum ex arſenico præſcribere volui tempore peſtis, ſed feliciſſimo ſucceſſu iis ſum uſus, qvæ ſingulari balſamicâ virtute calorem nativum roborant, ſpiritusq; confortant.* Qvamvis ceciniſſe poſtea palinodiam videatur, & amuleta in peſte tam ex arſenico qvàm ex mercurio commendaſſe. Experientiæ, qvæ laudantur de inſigni hujusmodi amuletorum ex deleteriis paratorum fructu & incertæ ſunt, & periculoſæ, & ludere poſſunt, facilè medentem. Si enim pereat æger, haut conſtabit æqvè, an peſte interierit, an arſenico. Sin autem aut peſte correptus, aut immunis ab ea fuerit; ſcire haut facilè poteris, utrum naturæ ipſius

robore

robore virus utrumqve tam peſtis qvàm arſenici fortiter vincentis acciderit. Hæc etiam ſufficiant de amuletis.

Cap. IV. Proponit

An à collectione ſub certo poſitu ſiderum vis plantarum ſpecificâ & tantum non arcana ſit arceſſenda: Qvidve ſentiendum ſit de SIGNATURA.

Artic. I. Agit de COLLECTIONE.

IN COLLECTIONE plantarum varia cernitur vulgi ſuperſtitio ac ceremoniæ, de qvibus nunc brevibus in in hoc articulo. Ipſi plantarum vigori qvod ſua ætas, ſuumq; tempus ſit ritè his colligendis deſtinatum; fore arbitror neminem, qvi in dubium auſit vocare, multò minus negare. Cum magni referat ad artem ipſam faciendam, qvô tempore colligantur vel ſingulæ plantarum partes, ad uſum Medicum facientes. Cum ab adultioribus vires demum validas liceat polliceri. Differt enim in plantis multis ſanè paraſangis tenellarum temperies ab adultiorum craſi, uti in hominibus infantum ab adoleſcentum, adoleſcentum verò à ſenum. Qvamvis, ſi tota ſpecte-

ſpectetur craſis, in herbis etiam tenellis, & vere ineunte pullulantibus recens jam tum olim proventurarum indolem, (cujus aut odor aut ſapor aut uterq; index eſt utut exilior) & augurari detur, & explorare manifeſtius: Vires tamen debiles adhuc eſſe, & temporis augeri progreſſu, nemo diffitebitur, niſi ipſi velit experientiæ reclamare. Media autem hic ætas ſeu conſtans, qvæ virili reſpondet in hominibus; non prima, qvæ imbecillior eſt, nec ultima, aut vergens ad ultimam, cum jam tum deflexus aliqvis ab ipſo vigore metuatur, eligenda eſt: Pro diversâ tamen partium ſingularum naturâ. Aliud qvippe collectionis tempus exigunt folia, aliud flores, aliud ſemina, aliud fructus. Qvod animadverſum qvoq; paſſim eſt Botanicis Illuſtrioribus, *Dioſcoridi*, *Matthiolo*, *Fabernæmontano*, & ex recentioribus *D. D. Simoni Paulli* Medico trium Daniæ Regum Celeberrimo (in qvadripartito) & aliis ejusdem commatis ſcriptoribus. Rem qvoqve eandem paucis pagellis complexus *Fuſchius* lib. I. cap. 3. de comp. & miſc. medicament. ration. *ſtirpes*, (inqvit,) *ferè cum floribus colligantur: Collecta in umbra potius ſiccentur qvàm ſole, ne hujus colore vires earum exolvantur, & cum diu ſervari herbæ vix qveant,*

qveant, conſilium eſt, ut qvotannis mutentur. Reperiuntur tamen, qvæ colligendæ ſunt prius, qvàm ad florem pervenerint: Cum pro varietate hujus collectionis multum variet vis Medica. Qvod & ipſum Botanicis Inſignioribus video annotatum. Hinc de collectione meliſſæ & electione Cl. *Hofmannus* lib. 2. c. 114. Officinal. *Pro officinis* (ait) *meliſſa colligenda eſt tempore, verno, & extra florem, ad qvem, ubi pervenit, jam cimices olet. Qvidam ob copioſum humorem metuunt hanc, & accipiunt autumnalem. Ego verò dico, in vernâ qvidem abſumi ſiccatione, qvod ſupereſt, humidi. In autumnali autem idipſum humidum ita craſſefactum eſſe, ut ſit inutile, præcipuè in affectibus cordialibus.* Hæc *Hofmannus.* Flores verò & reliqvæ ſtirpium partes (teſte *Fuſchio* antè laudato lib. citat. cap. V. VI. & VII.) *jam tum legantur, cum maximè vigent* (verbis utor Fuſchii) *ut capparis in gemma, roſa jam expandi cæpta: Reliqvi verò jam aperti, ſed haut ita pridem, & ex qvibus vis nondum exhalavit. Semina verò colligenda, cum ſint matura, & fructus, qvibus includuntur, maturi. Præſtat etiam ſingulis annis ſemina mutare, etiamſi pleraq; poßint ſervari.* Huc usq; *Fuſchius.* Atqvi verò hæc de plantis colligendis philoſophia talo hactenus ſtetit firmiore, eòqve

cer-

certiùs; qvò uſus ejus & notior eſt & luculentior. Sed limites ejus juſtò ſolent latius extendi; cum duplex hic detur philoſophantium genus; qvorum alii qvidem certa verba, & neſcio qvas, in colligendo ceremonias, alii certum ſiderum poſitum obſervant nimis ſcrupulosè. Prius cum ſit apertè ſuperſtitioſum, aut certè redoleat qvid Magicum, refutatione hautindiget prolixiore. Rectius etenim Carcias ab Horto (cum perſvaſurus ipſi non nemo eſſet herbæ illius vivæ Indis dictæ vim adeò mirabilem, ut vel geſtanti cujusvis amorem virginis conciliaret) *Magicum*, (ait) *putavi*, *certis eundem verbis ac ceremoniis in effodiendâ illâ utentem obſervarim.* Poſterius autem, cum videatur veri haut exiguam ſpeciem præ ſe ferre, ac Magnis inniti authoribus dignum eſt, qvod ſub incudem vocetur. Illuſtre orbis literati Sidus *Athanaſius Kircherus* (mund. ſubterr. Tom. 2. lib. 12. art. deſtill. pag. 405.) à COLLECTIONE plantarum ſub certo ſiderum poſitu vim mirificam putat expectandam, idq; oſtendit inter alia ad hunc ferme modum: Si arboris ejusdem adhuc terræ infixæ fruſtulum eo tempore, qvo vis ipſa vigorq; arboris ſe exerit maximè; & aliud ejusdem arboris fruſtulum par ipſi

prorſus

prorſus ſed tempore decidas contrario,utroq; ponderatô fruſtum illud opportuno tempore deciſum multo fore levius, minusq; humiditatis eſſe qvàm alterum obtenturum. Poma itidem balſamico, uti vocant, tempore decerpta longè durabiliora feruntur eſſe, ac minus corruptibilia. Idem cum *Athanaſio Kirchero* ſentiunt *Carichterus Tabernæmontanus*, *Tanhauſerus &c.* ex qvorum libellis Germanicis ipſe fatetur ſe tabulam ſuam ſynopticam contexuiſſe. Id autem tempus ſtatuunt aptius colligendi, cum planeta rei colligendæ familiaris in ſuis, uti vocant, fortitudinibus extiterit. Qvam qvidem ſententiam fuſius explanavit Cl. *Schröderus* lib. 1, cap. 25. Pharmacop. Medico-Chymic. neqve non modum ipſum oſtendit rectius cognoſcendi, qvando hic vel ille planetarum vel fortior fuerit vel debilior. De qvibus cupienti plura cum author ipſe l. o. tum genuini hujus doctrinæ Artifices Aſtrologi ſunt conſulendi. *Conringius* Magnus (lib. 2. de Hermetic. Medic. cap. VII.) ſole & lunâ exceptis reliqvas ſtellas haut multum exiſtimat hic poſſe: Et, qvamvis ſiderum ortus, occaſus, & poſitus pro limitibus collectionis temporum poſſint haberi, anxiè tamen vim plantarum Medicam ab aſpectu ſiderum deducere,

 eſſe

eſſe vanum. Verba ejus, cum mentem exponant plenius, qvæ hic laudentur, digna ſunt. *Ut verò*, inqvit, *in hiſce omnibus multum Hermetica noſtra ſecta diſceſſit à veteri, ita aliqvid priſcæ vanitatis adhuc habet in colligendis ſtirpibus. Etſi enim ſuperſtitionem omnem veterem hodie adhiberi non cernas, tamen ſiderum varios poſitus diligenter credunt obſervandos. Verum, ſi ſolem lunamq; excipias, reliqvas ſtellas hac in re multum poſſe, certo nullo habemus experimento compertum. Hinc ſiderum ortus occaſus poſitus haberi qvidem poſſunt, pro limitibus variorum collectionis temporum, ut vulgo ſolent dies feſti anniverſarii. Anxiè autem vim aſpectum ſideralium Medicam qværere in ſtirpibus, vana videtur ſuperſtitio.* Cum Conringio videtur Cl. *Hofmannus* ſentire. Hinc veterum errorem dicam an ſuperſtitionem in collectione ipſo Johannis feſto ad radices arthemiſiæ carbonum, qvos magnarum putant & virium eſſe, & commendationis in epilepſiâ curandâ; his taxat verbis: *Dicunt* (ait) *qvia epilepſiæ medetur, hinc in feſto ipſius ſancti* (Johannis) *carbones qværuntur ad radices arthemiſiæ, qvorum Bauhinus in Matthiolo meminit, uno verbô, ſuperſtitio eſt.* Extat qvoq; locus ejusdem Illuſtris, qvô errori occurrit illorum, qvi vim putant pæoniæ antiepilepticam

eam deberi collectioni ſub certo ſiderum poſitu. Verba ejus hæc ſunt: lib. 2. Medicam. off. c. 167. *Hoc ille qvidem* (loqvitur autem de viribus pæoniæ antiepilepticis) *refert ad ἀναθυμιάσεις ſiccas pæoniæ. At qvia noſtra non facit, qvid cauſæ dicemus eſſe? Pleriq; decurrunt ad occultam proprietatem, qvæ contingat radici ab effoſſione ſub certo ſiderum poſitu. Fuit in Italia Amicus, qvi aſſerebat poſitum illum deſcripſiſſe Carichterum in opere ſuo plantario. Superioribus annis cum caput exererent Roſeæ crucis fratres, venit ad me qvidam, qvi aſſeveranter diceret, in effoſſione conſiſtere totum negotium. Sed non ego credulus illi. Fuit tale qvid apud veteres qvoq;, uti conſtat ex Theophraſto 9. hiſtor. 9. Ext. de fosſione ellebori nigri, præſente aqvilâ. Verum ille ἐπίθετον vocat commentitium, uti Gaza vertit. An radix Galeni non fuit naturâ ſuâ talis, ſed qvia τετελεσμένη adjurata, ut ſic vertam? Vide poſt-curas noſtras. Diabolus enim in multis naturam aut juvat aut impedit.* Hæc *Hofmannus.* Expenſis nunc ſententiis aliorum diverſis, oportet noſtram qvoq; adjiciamus, qvam qvidem in tot Magnorum diſſenſu haut facile eſt aperire, ne ſuſpecti temeritatis nomine videamur, Lubet tamen paucis, inte-

gro aliorum judiciô, aſſerere, ſiderum obſervationem hic non omnem damnari; cum æqvè illorum vis ſit in plantas, ac in alia hæc inferiora, inprimis ſolis & lunæ. Hinc ſi ante ſolis ortum, ubi vis vigorq; adeſt; ſi lunâ decerſcente, qvando non luxuriat ſuperflua humiditas naſcentium, qvæ corruptionis origo viriumq; proſtratio eſt, fructuum inſtituatur collectio, durabiliores jam tum exiſtere & vero ſit ſimile, & lucem adfert dubiis illis ex *Kircbero* antè allatis diluendis. Qvippe qvod alterum illud fruſtulum ligni non opportuno tempore deciſum altero fuerit gravius; acceptum videtur referendum humiditati excrementitiæ ſeu ſuperfluæ, qvæ impedit plantarum coctionem, adeoqve in cauſa eſt (ipſo etiam teſte Theophraſto) ut minus naſcantur fragrantes: Unde particulis ſuis aëriis adeoq; levioribus orbatæ non poſſunt non eſſe graviores; abſumptis contrà humidioribus, leviores. Uti res poroſa multò ſit gravior, ſi aqvæ imbiberit multum; aut odor plantæ fragrantior pluviæ copiâ cælitus effuſæ, aut prorſus aboletur ad tempus, aut imminuitur certè. Neq; verò non citioris in pomis aliisq; fructibus corruptionis in cauſa eſt eadem humiditas ſuperflua. Qvod autem

juſto

juſto ſcrupuloſius in plantis colligendis poſitus ſiderum ſit advertendus, adeoq́; anxiè inde arceſſenda ſpecifica plantæ vis aut Medica, vero minus ſit ſimile. Qvippe plantæ alicujus indoles à ſemine, non à cælo derivanda eſt demum. Qvid? qvod virtutis, qvæ plantis ineſt, ipſa origo reclamet. Cum eadem ſive manifeſta ſive ſpecifica unicè debeatur temperamento, cujus effectus genuinus odor pariter ac ſapor ſunt, virium uterq; Medicarum index. Qvo poſito fundamento vel cuivis colligendi ſit copia, plantis etiam admodum tenellis vim æqvè ſpecificam ineſſe, qvàm adultioribus, nec ab hujus aut illius poſitu ſideris expectandam demum eſſe. Matricaria (Ex. gr.) tenerior, qvæ ipſo ſe prodit odore, æqvè uterina eſt, ac adultior. Qvamvis, qvò ad terminum ſuæ perfectionis acceſſit magis, eò qvoq; vis ſit & efficacia fortior. Perfectionem autem ipſam ac vigorem non fieri in inſtanti; aut ab hujus aut illius aſpectu ſideris inſtillari: ſed probæ coctionis beneficio longô temporis ſpatio acqviri demum; nemo temere niſi rerum prorſus ignarus naturalium negabit. A nobis videtur haut multum diſſentire *Helmontius* (in diſpenſatorio ſuo moderno) *Non defuerunt*,

inqvit) *qvi immenſum catalogum morborum in ſigna Zodiaci retulerunt. Cujus numerus cum nimis anguſtus eſſet, unumqvodq́ ſignorum in triplicem ſectionem ampliarunt, ut ſcilicet omnes herbarum vires in 36. dividerent & cogerent arcto ſtabulo. Terra enim ex ſe producendi herbas virtutem habet ſeminalem; qvam proin non è cœlis mendicat. Proprietas enim herbarum tota à ſemine eſt, & vis ſeminativa à terra deſumitur ſecundum ſacra. Non autem à facie luminum cœli. Ponantur nempe 16. aut 20. ſtellas conficere conſtellationem, ſive unum de 12. manſionibus, atq́ extendi in 30. gradus. Qvô pacto poterunt tam paucæ ſtellæ continere eſſentias, ſemina facies & proprietates qvingentarum fortè plantarum ſpecie & internis proprietatibus diſcrepantium? Prætereo adhuc inanes tot rerum tam humanarum qvàm politicarum mille attributiones. Apage cum nugis iſtis. Seminibus plantarum inſunt proprietates, non autem cœlo vel ſtellis. Exoletæ ſunt aſtrorum vires. Qvæ coloribus frigoribus & complexionibus veteri tabulæ affixæ ſteterunt. Multò enim magis differunt ſtellæ, qvôcunq́ ſumantur modo à plantis, qvàm herbæ à nebulis & pruinis, vel piſces à gemmis pretioſis. Elenchus itaq́ eſto, effectus cauſis tribuiſſe, qvæ nil prorſus cauſæ ſimile in ſe poßident. Id vel vigilem*

ſomni-

ſomniare eſt, ſi fortè crediderit. Vel prorſus propriâ putatione evagari in dementiam. Hæc ille. Qvem qvidem locum hic integrum placuit adſcribere, cum nonnulla ad ſcopum noſtrum videantur facere. Præter rationes, qvas recitavimus hactenus ad ſententiam noſtram ſtabiliendam, favere nobis videtur optima rerum Magiſtra experientia qvotidiana. Cum cernamus ſæpius, plantas non ex placitis Aſtrologorum rigidioribus, ſed eô potiſſimum tempore, qvô ipſum vigoris ſui terminum attigerunt, collectas, ſuo utentem rectius fructu non defraudare. Hæc ſufficiant nunc de collectione plantarum ſub certo ſiderum poſitu & breviter dicta, & rudi, qvod ajunt, Minervâ.

Artic. II. Cap. IV. Sect. I.

An vis Medicaminis ſpecifica colligi qveat à ſignaturis.

Vulgò ſolent vim qvorundam medicaminum ſpecificam colligere à ſignaturâ. De qvâ nunc, qvantum qvidem ad ſcopum noſtrum facit, breviter & tanqvam aliud agendo; (cum hoc egerimus aliàs) dubia ſumus expenſuri, qvæ telæ huic lucis poſſunt

nonnihil addere. Vis autem refutationis præcipua conſiſtit in his tantum duobus, cum qvod dubia ſit, incerta, & particularis tantum collectio à SIGNATURA: Tum qvod fictitiæ ac imaginariæ potius ſint multæ ſignaturarum qvàm veræ: Cum hoc qvidem pacto vel qvamvis ex re qvalibet figuram liceat comminiſci. Ad prius obtinendum fulcro datur non uno incedere. Qvippe in plantis dantur aliæ, qvæ ingentem qvidem foliorum ſimilitudinem gerunt inter ſe, viribus tamen diſſident multis paraſangis, ut petroſelinum & cicuta, qvorum hæc venenata eſt ac oppidò peſtifera, illa verò ſalutaris admodum; aſt figuræ exterioris tanta cernitur in utroq; affinitas, ut ex errore in his cognoſcendis patrato caſus planè tragici Hafniæ ante aliqvot annos fuerint nati, ceu diſcere eſt ex curiosâ Celeberrimi *D. D. Simonis Paulli* trium Regum Archiatri obſervatione. Aliæ verò contrà figurâ maximè diſtinctæ exteriore aptè conveniunt viribus. Argumento ſunt chamædris & chamæpithis, qvæ pares qvidem virtute ſunt, at figurâ diſpares exteriore. Ad eundem qvoqve modum Meliſſa & odore & viribus æmulatur citrium, & ſaſſafras fœniculum, qvæ ſpecie tamen exteriore diſtant multis ſanè paſſi-

paſſibus. Licet præterea reperire, qvæ ſimilitudine qvâdam reſpondent his aut illis partibus, in qvibus tamen curandis aut nunqvam aut certè rarius, qvod qvidem memini, à tot annorum usqve decurſu ullum meruerunt applauſum. Qvales ſunt auricula muris & urſi, qvæ utraq; qvandam auris ſpeciem fert præ ſe, neutra tamen in affectibus aurium conſvevit hactenus commendari. Sic bugloſſa (qvæ ſolet in cordis affectibus & melancholicis magni æſtimari) bovis, ophiogloſſum ſerpentis, cynogloſſa canis lingvam figuræ qvâdam affinitate creduntur exprimere, nec tamen in lingvarum morbis punctum tulerunt hactenus. Huc etiam merentur referri ex regno vegetabili ſpinoſa qvædam, qvæ nullum aut certè exiguum conferunt pleuritidi uſum, uti ononis, aparine, ipſa bugloſſæ ac borraginis folia, & notæ ejusdem alia ſuis itidem ſive ſpinis, ſive puncturis inſtructa: Cum tamen ad mentem illorum, qvi multum tribuunt ſignaturis, ſpinoſa credantur ſimilitudine qvâdam pleuritidi prodeſſe. Scopo qvoq; huic inſerviunt plantæ lactiferæ Medicis appellatæ, qvæ in eô qvidem conveniunt, qvod albicans & lacti ſimillimus exprimatur ſuccus; virtutis tamen tantus apparet diſſenſus,

ut aliæ ſint venenatæ, aliæ tam ſalutares, ut vel cum ſaluberrimis qvibusqve certare qvodam modo poſſint. Exemplo utriusqve tam lacti-ferarum ſalubrium qvàm peſtiferarum videre eſt *in comment. noſtr. de ſimpl. facultat.* Cognoſc. In regno etiam animali & ipſa nobis eſt in promptu refutationis ſeges. Liceret enim, ſtante hypotheſi illâ de ſignaturis, colligere, partes reliqvorum animalium ſingulas, ſingulis qvoqve hominum partibus priſtino vigori reſtituendis deſtinari. Qvod nullo hactenus ut ingenuè fatear, didici experimento. Cor leporis non ad cordis vires reparandas, ſed ad capitis dolores mitigandos, (ſi uſus exterior ſit) vulgo & à mulierculis ſolet commendari. In ventriculi debilitate non videtur reliqvorum ventriculus animalium proficuus, cum membrana illa ventriculi & durior ſit & concoctu difficilior. Sunt tamen, qvi in ejusdem affectibus tunicam ventriculi gallinæ interiorem in primis putant commendabilem. Neqve etiam brutorum pedes (qvod ipſe qvidem memini) aut ad podagram aut ad alios pedum affectus ſolent in Scholâ Medicâ celebrari. Pedum qvidem anſerinorum cuticulam flavam (qvod obiter interſero, cum neutiqvam huc faciat) novi qvidem vulgo extolli in

in ictero, ſed exitum feliciorem nondum ſum expertus. Pulmo vulpis in pulmonum, hepar lupi in hepatis imbecillitatibus magnis efferuntur laudibus. Sed ſuas ſibi partes ſumere hic opinionem, facilè fatebitur vel qvivis cordatior, rectius advertens ad plures illas ſpecies compoſitionem *loch* pulmonum vulpis ingredientes, qvibus ipſis vis Medica potius videtur, qvàm pulmoni vulpis adſcribenda. Os de corde cervi in cordis affectibus bene hactenus cæpit audire officinis, ratio haut alia videtur ſubeſſe, qvàm qvod in parte animalis principe ſuſtinuerit locum. Qvod ſuo itidem calculo videtur *Cl. Hofmannus* confirmare *in ſuis paralipomenis cap. 22. Ego*, inqvit, *paucis me abſolvo, eſt os, neq; facultatem, ab aliis osſibus peculiarem habet. Qvam autem dignitatem habet, conciliavit ipſi locus in animali princeps.* Bovis lienem ad ſplenis obſtructiones reſerandas multis uſurpari, non heri demum innotuit, ſed dudum. Sed & hìc dubito, anne reliqvis medicamentis, qvæ in compoſitione ipſi adduntur magno numero vis potius tribuenda ſit qvàm bovis lieni. At verò fac, promittere has partes uſum aliqvem partibus corporis humani (dari verò in illarum numero, qvæ obſunt potius qvàm proſunt, jam antè eſt oſten-

ſum)

ſum) multis tamen partibus ſuperari ab aliis ſpecificis, res ipſa clamat. Sic in affectibus pulmonum, tuſſilaginem, Veronicam, Carduum Mariæ, ſemen urticæ Romanæ, Praſium, Rorellam & alia id genus longè ſuperiora eſſe pulmone vulpis (qvi arefactus demum, & ſuis, ſi qvæ inſunt, dotibus orbatus venit in uſum Medicum) nemo negabit prudens, qviqve immunis eſt ab omni ſuperſtitione. Qvod & ipſum videtur Cl. *Hofmannus* ſenſiſſe *cap.* 20. *Paralipom: Officinal.* Qvod qvidem caput cum & breve ſit, & authoris mentem dilucidè explanet, hic dabo integrum. *Habemus*, inqvit, *præparatum hunc pulmonem, & inde confectum lohoch. Cui neſcio, qvas prærogativas tribuunt præ aliis pectoralibus. Ego qværere ſoleo ab iſtis* πολυφαρμάκοις, *qvid inſigne habeat præ porcino & agnino, cum qvibus Galenus jungit.* 11. *Simpl. ſi vulgare illud crepent, ſimile ad ſimile tendit. Dico, qvot pasſibus diſtat hoc ab occultâ proprietate? Ne uno qvidem. Addo etiam apud pervicaciores. Annon eſt eadem ſimilitudo in agno & porco? propterea libenter abſtineo à remedio abominabili, & putreſcibili, qvod etia lohoch facit parum gratum. Subſtituo in affectibus gravioribus vel Syrupum de praſio vel oxymel ſcilliticum belleboratum.* Huc usqve *Hofmannus.*

mannus. Gallinæ tunica ventriculi interior (ſi qvæ inſit vis Medica) nullus dubito, qvin longè inferior ſit menthâ criſpâ, nuce moſchatâ, macere, Cariophyllis, Cinamomo & id genus ſimilibus. In lienis verò ac pancreatis obſtructionibus arctiſſimis utramqve paginam facere ſalia volatilia, & bovis ſplenem longô poſt ſe intervallo relinqvere, non recentiores tantum, ſed & uſus edocet qvotidianus. Neqve verò non multum facit ad opinionem de ſignaturis infringendam, qvod in plantis liceat reperire ſat multas, qvæ ſpeciem gerant exqviſitam certæ rei ex arte fabrefactæ; ut digitalis, herba ſuam inde appellationem ſortita; Cochlearis, Cochlearia, Burſa paſtoris ipſius ruſticorum crumenæ, Campanula campanæ, &c. Qvid? qvod lapides etiam reperiantur in Italia aliisqve locis remotioribus (qvorum qvoqve meminit *Athanaſius Kircherus*) in qvibus res miri artificii varias, & eleganti velut ordine expreſſit natura. Ante ſemeſtre circiter amicus qvidam ſingularis lapides, qvos ipſe ex Italia redux attulerat, mihi oſtendit, in qvibus aliæ atqve aliæ cernebantur figuræ. In nonnullis qvoqve arbores integræ cum ramis ſuis & ſurculis tanqvam concinno & eleganti artificio velut depi-

depictæ conſpiciebantur. Qvi luſus naturæ nil fruſtra qvidem, ſed ad finem omnia dirigentis perſpicuè nos docet, ad Dei gloriam ceu finem primarium ſingulis rerum conditarum ſuam eſſe figuram ab Opifice ſummo inditam: Ex accidenti autem contingere, qvod res diverſiſſimæ aptè ſibi ac convenienter figurâ reſpondeant interdum, ceu probè inculcat ſidus inclytæ Juliæ illuſtre **Conringius** lib. 2. cap. 7. de Hermetic. Medic. Audiamus *Helmontium* locô antè citatô ſcitè hanc in rem & perbellè diſſerentem his verbis. *Fuerunt poſtea & alii, qvi ſignaturas velut chiromantiam, in herbis obſervarent. Hancq; meditationem Satyrionis radix inſigniter promovebat. Atq; hujus præcipuè merito ſcientiam ſignatam ſive anatomiam eſſatam, id eſt, nova nomina & grandiloqvos titulos ſuis prætexta audaciis introduxêre. Ego de fide credo, hominem non naturæ, & ideò vicisſim naturam non hominis eſſe ſimulachrum, icona aut ſculptrum.* Et paulò pòſt idem (citante Magno **Conringio** locô paulò antè citatô) *Qvid cum pleuritide cognationis chiromanticæ habet dens apri ſangvis hirci, virga tauri, fimus eqvi, vel herba bellis? aut qvam habent invicem ſignaturam iſta ſimplicia? Laudo eqvidem Dominum, qvi omnia ante qvàm morbi eſſent,*

eſſent, ad ſui gloriam primariò creavit: Neq; ſimplicia notavit propter futuros à contingente morbos, ſed ad decorem univerſi, unde honos Domino ſcilicet. Hæc Helmontius. Conſtat igitur ex iis, qvæ dicta ſunt hactenus, qvam incerta, qvamqve infirma ſit à SIGNATURA collectio, qvam ratio qvoqve ſanior refutat, qvamqve principia ipſa ſive Ariſtotelica, ſive chymica, ſive Cartheſiana elidere ac eludere prorſus videntur. Miſſis nunc Ariſtotelicis, cum dictum de iis aliis uberius ſit (in libell. de malo citrio.) Paucis & levi qvod ajunt brachio lubet attingere Chymica pariter ac Cartheſiana. Chymici recentiores ingenioſius aliqvantò philoſophantes diverſam ſalium naturam qværunt in diverſitate figurarum. Unde alias atqve alias figuras oſtenderunt in ſalibus pro varietate plantarum. Sic Endivia ſale ſuo duas retuſas cuſpides hexagonas medium complectentes prisma baſis pariter hexagonalis creditur imitari, uti & ſal citrulli Eſulæ & Scorſoneræ ceu ſcitè inculcat incomparabilis D. *Thomas Bartholinus* in aureâ illa de medicamentis inqvilinis cognoſcendis Epiſtolâ. Sed nec inde videtur certi aliqvid poſſe colligi, cum multæ plantarum, qvæ manifeſtis diſſentiunt qvalitatibus, figurâ ſalis conſen-

tiant probè. Et qvamvis negari non poſſit, microſcopium hic fallere, nec angulos omnes ſatis accuratè poſſe obſervare. A potiore tamen eſt collectio ſumenda. Si enim plantarum, qvæ manifeſtis pugnant qvalitatibus, ſalia inter ſe conveniunt ad potiorem figuram, de nihilo eſt, aut certè imbecillis admodum, qvæ inde depromitur, argumentatio. Neqve verò in Cartheſianis principiis (unde novum illum ſalia demonſtrandi modum mutuati ſunt Chymici recentiores) qvæ multis videntur dogmati huic favere, qvicqvam refugii latitat ſignaturarum fautoribus. Cum qvod medicamenta dicta Medicis ſpecifica ſuis, unde conſtant, corpuſculis, (figurarum qvidem intuitu ad mentem Cartheſianam) prorſus non reſpondeant atomis illarum partium, qvibus creduntur mederi. Tum qvod in aliis atomi ſuperficiei exterioris longiſſimè diſcrepent ab atomis partium internarum. In aliis verò ſingulæ atomi tam ſuperficiei exterioris, qvàm ſubſtantiæ qvoqve interioris pugnent cum totâ ſuperficie immane qvantum. Qvibus omnibus abundè faciet ſatis vel ſolum pomorum genus, in qvibus primo loco ſumendum eſt malum citrium, oblongum & corticibus conſtans aromaticis; Internis au-

tem

tem partibus planè heterogeneis: Qvandoqvidem caro illa corticibus annexa, & durior & concoctu difficilior eſt, ſuccus verò acidus, ſemina item amara. Qvæ ſanè omnia (puta caro, ſuccus & ſemina) particulis gaudent à corticibus exterioribus longè diverſis inæqvalibus, angulofis, acutiformibus, qvadrangularibus: Cortices verò, cum & aromatici ſint ſaporis & ſubſtantiæ tenuioris atomos qvoqve arguunt ab his planè diverſas. Qvomodo igitur pro pro re natâ in exterioribus hærens ſuperficies illa, & tot modis à ſubſtantiâ interiore diſtincta vim Medicam poteſt arguere partium internarum? Sed dixeris locum fortean eſſe huic collectioni in heterogeneis, qvale citrium eſt; diſparem verò rationem eſſe homogeneorum. En tibi ergo homogenea, poma nimirum noſtratia rotunda ac acerbiora; qvibus licet id qvod intendimus, felicius obtinere. In his enim tam exterioris ſuperficiei qvàm interioris atomi planè non ſunt conformes totius configurationi. Qvippe rotunditas illa atomos arguit æqvales, cum contra acerbitas ſaporis, maximè inæqvales reqvirat. Porro ut brevibus etiam, qvàm longè medicaminum atomi diſtent à partibus corporis noſtri, evincamus, redeo ad

malum citrium, cujus ſi comparatio inſtituatur ad Cordis noſtri ſubſtantiam, nulla videtur (ad principia ſi exegeris Carthеſiana) inter utrumqve convenientia. Succus enim mali citrii & ſemina, qvorum hæc amara, ille acidior, utraqve ex atomis conſtant inæqvalibus acutiformibus & anguloſis: Caro verò cordis noſtri cum nullum ſit dubium, qvin oppidò ſit ſapida, atomos arguit æqvales. Ergò ſtantibus principiis Carteſianis, ſuccus & ſemina citrii infenſa potius cordi ſunt, qvàm amica. Nec eſt, qvòd regeras, nullam reqviri affinitatem inter aliqvam corporis noſtri partem, & inter medicamentum; cum ejus ſit indolis medicamentum, ut corpus noſtrum immutet, & ex ſtatu præternaturali reducat in naturalem. Sed in promptu eſt reſponſio, & ſimile & diſſimile dici medicamentum poſſe; diſſimile qvidem, ut differat ab alimento; Simile verò, ut aliqva omninò detur affinitas: Aliàs veneni potius vice fungeretur, qvàm medicamenti. Qvod præprimis obtinet in Cordialibus. Qvorum omninò oportet aliqvi intercedat cum corde & ſangvine noſtro convenientia, uti fuſius à nobis dictum aliàs eſt. Hactenus dictum eſt, qvàm imbecilli fundamento innitatur, qvàm dubia ſit & tantum

rum particularis collectio à ſignatura. Nunc paucis ut agamus, reſtat, qvod ſignaturæ fictitiæ & imaginariæ ſæpius ſint, & pro vario fingentis conceptu tam variæ; ut qvod huic aurium, id illi renum; qvod huic lingvæ, id illi lienis credatur figuram æmulari. Cujusmodi ineptiis refertus eſt libellus Crellii de ſignaturis. Et certè (ut ſit unum id nobis inſtar omnium) ſi res omnes figuræ oblongioris, qvale eſt citrium, cordis repræſentarent ſimilitudinem, idqve corroborarent ſingulari qvâdam virtute. Qvot bone Deus! Cardiaca ſuppeterent, in malorum, pyrorum, aliorumqve fructuum cenſu ampliore, qvæ in illorum numero nec habita hactenus ſunt, nec jure poſſunt haberi. Obiter his & velut παρέργως lubet attexere qvorundam opinionem apud ipſos qvoqve Ægyptios receptam, qvi herbas putant ſteriles inducere ſterilitatem; fæcundas fæcunditatem; longævas verò perpetuoqve virentes, vigorem: Et in qvibus naſcuntur calculi, calculos qvoqve comminuere in corpore noſtro, ceu tradidit uberius *Athanaſius Kircherus Oedip. Ægyptiac. Gymnaſ. hierogl. claſſ. 9. cap. 3.* Sed nec illa videntur firmiora. Et qvamvis ratio nonnullorum poſſit à nobis hoc qvidem agentibus ſuppeditari:

 Per-

Perpetuæ tamen eſſe veritatis hanc collectionem, nec ſuperſtitionem qvandam redolere interdum, nullus credidero. Tantum de ſignaturis.

CAP. V. SECTION. I.

An arcana lateant in literis, verbis & characteribus.

Et qvidem Artic. I. Qvæ crasſior hic ſit Philoſophia.

SIlentii conopéo non eſt involvenda illicita, ipſamqve adeò magiam redolens de literis, verbis & characteribus opinio, in qva *Paracelſum* qvoqve fuiſſe, liqvidò patet ex ipſius verbis. *lib. de Philoſ. Sagac.* *Natura* (inqvit) *vires ſuas in verba imponit, ſicut in herbas & radices.* Paulò pòſt planius adhuc mentem ſuam aperit his verbis. *Imagines & characteres ſunt pyxides, in qvibus Magus Siderum vires aſſervat.* Sed non unus datur ordo hic philoſophantium (pace nunc rectius philoſophantium his liceat voculis ludere) alios ſub alio obtentu conſvevit fallere neqviſſimus ille Artifex. Hinc qvidem diducto aliqvantò craſſius, illinc verò ſubtilius machinarum ſua-

rum

rum filô. De filo craſſiore nunc paucis in præſenti articulo. Diabolus, ut eſt in omni ſcientiarum genere, ita qvoqve in Politicis undiqvaqve verſatiſſimus. Politicis autem peritioribus magni æſtimantur illi, qvi pro vario populi & genio & moribus varios noverunt dolos, qvi nullam incurrunt reprehenſionem, ſi ad eorum, qvi parent, commoda fuerint directi. Boni nomine ſolet venire hujusmodi dolus: pravus verò longiſſimè abſit à veris Politicis. Ad eundem qvoqve modum in ſuo genere æqvè fallax eſt Diabolus (ſed dolus ille oppido eſt & inſigniter pravus) in qvibus parum ineſſe ſalis, qvosqve rudes cernit, duciqve vanis ſuperſtitionibus, cum iis craſſius qvoqve agit pro craſſo ſtupidoqve illorum ingenio: Subtilius verò ſi juſto ſcrupuloſius verſantur in rebus illis cognoſcendis, in qvibus meta videtur poſita ingeniis humanis; qviqve limites naturæ tranſilientes juſtò appetunt altiora. Craſſius itaqve falluntur, qvi literas ſive pani ſive caſeo ſive aliis rebus aut ipſi inſcribunt, aut inſcriptas ab aliis de collo gerunt ſuſpenſas; aut certis utuntur ſive verbis ſive ceremoniis: Ignari, qvid vel literæ, verba, aut ceremoniæ fauſti polliceantur, aut minentur contrarii; An Deus adoretur an

Diabolus. Exempla non ſunt longius petenda, cum in promptu ſint. Memini me obſervare etiam puerum admodum, virum qvendam bonum, & doli qvoq; omnis expertem (cum ab amico accepiſſet hujusmodi, ad febres curandas, ſi ita liceat appellare, arcanum) invitum & ægrorum precibus tandem defatigatum inſcribere ſolitum interdum fuiſſe ſive pani ſive placentis ſive caſeo certas literas ad vim febrium expellendam, ſi laborantes comederent, idq; ter aut qvater ad illum ordinem, qvem numerus præferebat, ſive pani ſive caſeo additus, reiterarent. Qvorum multos fateor ſibi ipſi redditos feliciter eſſe. Non longius arceſſenda hic eſt reſponſio, cum jam tum Cl. *Sennertus* & alii ultro eam ſuppeditârint. Hæc nimirum & alia ejusdem farinæ pactum Diaboli redolere implicitum, qvod primus author iniit cum Diabolo. Multum hic etiam poſſe imaginationem, cujus magna vis eſt, (uti paulò infra uberius) non iturus inficias ſum. Faceta qvoq; eſt, qvam *Deuſingius* commemorat, hiſtoria de vetula oculorum inflammatione laborante. *Hæc nacta* (inqvit) *alicubi erat pro tali modo curando ſchedulam characteribus inſignitam: qvam curaret depingi collo dependendam pro certo remedio.*

Studio-

Studioſum compellat, qvi conſignando characteres ſibi ſchedam adornaret. Is vetulam videns adornat chartam, cui loco characterum ſeqventia inſcripſerat: Diabolus evellat huic vetulæ oculos, ipſaq́ foramina ſtercore compleat. Complicatam chartam occluſamq́ ſuperſtitioſæ mulierculæ offert remedii loco ſuſpendendam à collo, qvô admotò convaleſcit nihilominus mulier. Hæc *Deuſingius*. Non multis videtur paſſibus ab eâdem hiſtoria diſſidere ritus, qvi apud vetulas obtinet aliosq; homines notæ ſeqvioris, ut in morbis aut vulneribus curandis certa pronuncient verba. Cum ingenti indignatione memini me videre qvondam jam pæne puerum, ruſticum qvendam ad eqvi vulnus reſtituendum ferrô qvôdam cum certis verbis & ceremoniis hunc in modum circitèr utentem: Ferro fricabat partem malè affectam, verbis additis planè ridiculis, ut, ſi qvid vel carnis vel nervorum aut oſſium ſive fractum ſive contuſum eſſet, ſive aliô modô læſum, ſuum qvodqve redderetur vigori: ſed, qvod piæ menti terrorem poterat incutere, nefariam ſuam & nimium qvantum ſuperſtitioſam curandi rationem concludebat his verbis: IN NOMINE PATRIS ET FILII ET SPIRITUS SANCTI AMEN. Utraqve tam vetulæ

 qvàm

qvàm eqvi curatio (ut unâ & eâdem fideliâ duos dealbem parietes) ferenda videtur accepta naturæ ipſius bonitati. Hoc qvidem præter id, qvod in eqvi robore, ejusdemqve calore nativo conſiſtat totum curationis negotium, Magiam videtur qvandam occultiorem ſapere. Ad illius autem (vetulæ) ſanitatem reparandam, ſi ſpem, qvam de ſanitate priſtina recuperandâ concepit, firmiorem nonnihil aſſeramus contuliſſe, haut multum aberrabimus à ſcopo (ut nihil nunc dicam de operâ Diaboli his ſeſe immiſcentis & voti ſui damnantis credulos nimis, ut ad ſuperſtitionem ſeducat magis) qvomodo autem ſpes ægri firmior ſuum ad ſanitatem reſtituendam ſymbolum poſſit adjicere, non æqvè manifeſtum eſt omnibus: Demonſtratu tamen eſt facile ex motu cordis & ſangvinis Harvejano. Qvippe cum ex placitis Harveianis in ſpe in lætitia ac amore ſit motus cordis, qvàm in metu ac triſtitia validior (qvod neutiqvam fugiet tactu ipſum arteriæ pulſum in carpo explorantem) Hinc fit, ut pro motu cordis vehementiore copia qvoqve ſangvinis uberior à corde ceu fonte caloris genuino ad nutriendas reliqvas corporis noſtri partes tanqvam rivulos derivetur, ipſaqve adeò augeſcat nu-

tritio

tritio & totum calefiat corpus ſuis undiqvaqve ſpiritibus vegetum. E re igitur natâ nullum eſt dubium, qvin in ſchedæ geſtatione diuturniore, qvæ ægrum alit fovetqve ſubinde, ſpes ſanitatis priſtinæ firmiſſima, omnino aliqvid poſſit conferre. Per accidens autem id jam tum contingere non per ſe aut à ſchedis ſcilicet characteribus qvà talibus, rectius ſentientium neminem arbitror ignorare. Sed obiter hic & tanqvam aliud agentes velim addiſcant tyrones noſtri, qvod è re qvondam ſit in arte ipsâ faciendâ. Qvanta nimirum vis ſit animi motuum in utramq; partem: Hinc qvidem in morbis ſi non reſtituendis at certè mitigandis ut ſpei amoris ac lætitiæ, (ſi modum non excedant) illinc verò in augendis ut mæroris pariter ac metus. Hinc fruſtraneum prorſus fuiſſe in ardentibus febribus aut malignis uſum medicaminum etiam oppidò ſalutarium, ſi mæror aut metus ægros afflixerit nimis, non ſemel ſum expertus. Id igitur unicè agat Medicus, & loco velut arcani habeat, ut qvoad qvidem ejus liceat, ſpem ægro faciat priſtinæ ſanitatis ampliorem. Neq; verò id mirum videatur tyronibus, tantam curationis vim reſidere in ægri fiduciâ firmiore: cum res eadem clarius eniteat ex contrario.

Qvod ſi enim vel ex ſolâ iracundiâ febris ardens, pleuritis, &c. ſi ex mærore diuturniore melancholia, febris, φθίσις, &c. ſi ex aliis animi motibus alia & nata ſint, & naſcantur ſæpius ſymptomata, qvidni contrà fructu perqvam inſigni gaudebunt ſpes & lætitia, ſi nec ipſa vagentur extra limites. Plus interdum in his qvàm in corroborantibus medicamentis poſitum eſſe, omnino perſvaſum ſibi habeant tyrones: Sed hæc tantum brevibus hic, & velut per transennam placuit attingere in gratiam artis Medicæ tyronum integrum de animi motibus libellum meditanti. Sed revertor in viam, à qva paululum videor aberrare, ad telam ſcilicet de philoſophia ſive ῥηματικῇ, ſive characteriſticâ craſſiore pertexendã. Aptè videtur eòdem qvadrare, qvod ante annum circiter mihi retulit Medicus Magni Nominis, qvondam ſe cum aliô qvôdam Medico Doctore itidem inſigni curaſſe Lubecæ virginem Generoſiſſimam morbillis laborantem admodum malignis, ut ob ferociter nimis ebullientis ſangvinis acrimoniam tanta fuerint hæmorrhagia narium oborta, ut paucis ſanè paſſibus ægra ab orco ipſo videretur abeſſe. Cunctis jam tam internis qvàm externis in uſum protractis, ſed fruſtra; ſuum hic arca-

num

num pollicebatur Empiricus, modò pace fieret & conſenſu medentium: Annuentibus igitur illis, & ſic ex fati faucibus ipſius eripi hanc virginem poſſe (qvô nihil ſibi foret optatius) aſſerentibus; Pennâ eveſtigiò arrepta, & ſangvini ex naribus profluenti intinctâ verba qvædam inſcripſit fronti laborantis. At verò ubi vix ſuam ſcribentis manum retraxerit barbi tonſor, dictum factum cum ſtupore adſtantium & ingenti ipſorum medentium admiratione cohibitus eſt fluxus ille pertinax. Qvænam verba illa fuerint, (cum magicum qvid videantur ſapere & ſapiant reverâ) non inqviſivi anxius. Idem hic mihi contingebat, qvod Magno *Bartholino* qvondam. Is in ſimili caſu (uti patet ex lib. de domeſt. Danor. Medic. Diſſert. 4. p. m. 128.) *Solo verbo*, inqvit, *Amicus qvidam impetum cruoris inhibuit, qvod qvia ſuperſtitionem redolebat diſcere nolui nec docere*. Et tantum de Philoſophia ſive ῥηματικῇ ſive characteriſticâ craſſiore; ſeqvitur nunc ſubtilior, de qva in articulo ſeqventi.


Artic.

Artic. II. Cap. V. Sect. I.
De characteriſticâ curandi ratione ſubtiliore.

HActenus de curandi ratione characteriſticâ craſſiore, nunc paucis etiam de ſubtiliore, qvæ neſcio qvod ſcientiæ nomen cabalæ prætexit pravæ maximèqve erroneæ ſuæ opinioni, ſub qvâ tanqvam ſub umbellâ vel pleræqve ipſius Diaboli machinæ & ſolent & poſſunt latere. Non autem Hebræorum hic, qvâ utuntur nonnulli ad faciliorem locorum qvorundam Sacræ Scripturæ intellectum, qvamqve Theologorum cenſuræ, ne falcem immittamus in meſſem alienam, ſubjicimus totam; ſed Saracenica intelligenda eſt, qvâ ad morbos curandos difficillimos & tantum non miracula præſtanda impiè abutuntur, de qva inter alios *Athanaſius Kircherus* & *Scotus* egerunt fuſius. Sed ne una hic datur via philoſophandi. Alii enim hic aliter. Alii verba ſtatuunt Magica certis alligari influentiis: Alii ſcalam Jacobi fingunt & qvatuor gradus in vaſto illo cœli & terræ intervallo, nempe naturam, Horizontem temporis, horizontem æternitatis temporalis, horizontem mundi ſuper ſupremi. A qvo usqve ad hominem ſunt

50. in-

50. intelligentiarum portæ, per qvas vis admirabilis in voces dimanet, radiusqve ſingularis Divinæ omnipotentiæ & virtus ποιητικὴ in eos ab Angelis adminiſtris deducta; & qvæ ſunt aliæ id genus ineptiæ. Alii characteres comminiſcuntur certos, uti ſunt



Primum illum Divinum exiſtimant eſſe, ſcilicet Deum denotare, ſuos ſub ſe transmittentes habentem vertices: Ab illo creduntur egredi omnium creaturarum ſpermata. Alterum putant filium Dei & humanam naturam, tertium Spiritum Sanctum deſignare. Qvæ qvidem hic tædet referre omnia, ſuæ vanitatis undiqvaqve pleniſſima cum nec loci hujus ſit nec inſtituti noſtri cabalæ totius hiſtoriam pertexere, ſed ſtudiô brevitatis obiter tantum innuere, curandi rationem illam ſive ῥηματικὴν ſive characteriſticam filo etiam qvocunqve ſive ſubtiliore ſive craſſiore diductam originem ſuam neutiqvam debere facultati naturali: cum juſtò latius extendendi non ſint fines rerum naturalium; qvod fit utiqve, ſi vel literis

vel

vel characteribus vim velis tribuere naturalem. Sed unde id probant Cabaliſtæ? in ſuo tantum cerebello nata videtur opinio. Qvicqvid enim afferunt illi, id maximè κρινόμενον eſt, adeoqve fallacia patratur petitionis, uti vocant principii. Non in qvæſtionem hic venit tam rei ipſius ſcilicet facti veritas (an fiat nimirum) qvàm modus agendi, an naturæ limitibus & ipſe includatur; Qvod merito jure negatur. Qvomodo enim characteribus vel literis (cum à qvantitate per ſe ſpectata ſive continuâ ſive diſcreta nullus ſperari effectus qveat) qvà talibus vis Medica poſſit adſcribi, non video. Nec eſt, qvod ad ſententiam ſtabiliendam vim verborum ac literarum inde colligant, qvod magna vis ſit poſita cùm in verbis oratorum qvorundam ſermonis ſui elegantiâ in aures animosqve auditorum influentium; tum in Muſices ſvavitate, qvæ multum dicitur poſſe non in hominum tantum animis permovendis (uti David fertur cantu Sauli furorem demulſiſſe 2. *Samuel* 6.) ſed & in tarantulæ ictu (ſi vera eſt hiſtoria) aliisqve morbis curandis. Qvod ipſum qvoqve perbellè videtur *Macrobius* expreſſiſſe lib. 2. de Somn. Scipionis. *Omnis* inqvit, *habitus animi cantibus gubernatur, nam dat cantus ſomnos adimitq́;*

nec

nec non curas immittit & retrahit, iram ſuggerit, clementiam ſvadet, corporum qvoq́; morbis medetur. Sed hæc ſolutu facilia ſunt, nec lucis qvicqvam adferunt Cabaliſtis, cum neq́ve à vocibus neq́ve à ſignis, qvatenus in cenſu habentur qvantitatis, ſed vel à rebus potius ipſis, de qvibus ſive ſermones ſive cantus inſtituuntur, vel à ſoni (qvi ad qvalitatem non verò qvantitatem refertur) jucunditate vis illa videatur petenda. Verum ipſa certitudo annorum climactericorum præprimis ſexageſimi & tertii cum ſit in aprico, multum videtur obſtare ſententiæ noſtræ. Conſtat etenim certos hujusmodi annos aut incommoda graviora aut ipſum vitæ interitum minari. Hinc *Agellius* Noct. Atticar. lib. 15. cap. 7. *Obſervatum* (inqvit) *in multâ hominum memoria expertumq́; eſt in ſenioribus plerisq; omnibus, ſexageſimum tertium vitæ annum cum periculo & clade aliqva venire, aut corporis morbive gravioris aut vitæ interitus, aut animi ægritudinis, propterea qvi rerum verborumq́; iſtiusmodi ſtudio tenentur, eum ætatis annum appellant κλιμακτηρικὸν:* Hinc de eodem anno, poſtqvam evaſerat, ſibi (uti author eſt idem *Agellius*) gratulatus eſt Auguſtus. Neqve non dices critici appellati in ſcholâ Medicâ

non

non Medicis tantum, ſed & vulgo exploratisſimi ſuâ gaudent certitudine.

Sed facilis eſt reſponſio ad utrumq;, hinc qvidem, qvod in diebus Medicorum criticis nulla habenda ſit ratio qvantitatis ſeu numeri numerantis, ſed lunæ potius à cujus motu fundamentum illorum, unanimi Medicorum calculo veterum juxtà ac recentium arceſſendum eſt: Illinc verò, qvod non in numero anni, uti vocant, climacterici ſed vel in ſingulari Divini Numinis diſpoſitione, aut proprietate naturæ certis annorum periodis ejus qvod ſibi moleſtum eſt, expulſionem molientis, & ſic humores agitando morbum, interdum ipſam mortem adferentis, vis ſit & efficacia qværenda. Qvamvis nonnulli in his obſervandis nimis videantur ſcrupuloſi, & metu ex prognoſi periculosâ natô vel morbum, vel mortem etiam ipſam ſibi accerſere. Qvid? qvod collectio neutiqvam ſit univerſalis. Aliis enim ille annus fatalis fuit & cum inſigni periculo conjunctus; aliis morbum graviorem imò mortem ipſam attulit, aliis non item. Multi Heroës annis climactericis obierunt, multi etiam evaſerunt incolumes. Et certè hujus intuitu diverſitatis aliis qvoq; annis non habitis climactericis idem poſſe contingere & con-

contigiſſe in proclivi eſt. Aptè huc conveniunt, qvæ perbellè hanc in rem Levinus *Lemnius* de occultis naturæ miraculis lib. 2. cap. XXXII. *Qvi, inqvit, annorum decurſus* (loqvitur autem ibi de annis climactericis) *tametſi non nimis anxiè ac ſuperſtitiosè obſervandus metuendusq; ſit viris Chriſtianis: Nihil tamen vetat circa ea tempora moderatè ac circumſpectè vitam victusq; rationem inſtituere, ne qva humorum copia coacervetur, qvæ his annis fomitem miniſtret, morborumq; ſeminaria præbeat. Qvâ autem ratione per illos annorum circuitus morbi plerumq; incrudeſcant, à nemine hactenus explicatum eſt. Ego eò id evenire conjicio, qvod certis annorum periodis corpus humanum magnam humorum collectionem ac redundantiam congeſſerit, qvorum motu atq; agitatione morbi excitantur. Cum enim natura ad immodicam repletionem devenerit, ac conceptacula humorum plenitudinem perferre neqveant, in morbum erumpere neceſſe eſt. Qvamobrem omne ſtudium operamq; conferre expedit ad materiæ exuperantis evacuationem, qvod ſemper vere & autumno vel inciſione venæ vel purgantibus medicamentis moliendum eſt: Hac enim ratione effeceris ut poſt ſeptennale curriculum, aut in qvem alium annus climactericus inciderit, morbum non metuas, aut*

aliqvam corporis immutationem pertimeſcat. Huc usq; Levinus *Lemnius.* Ex qvibus nunc diſcimus, vim vel ullam Medicam fruſtra collocari in verbis literis ac characteribus; Sive craſſius aliqvis hic fuerit philoſophatus, hoc eſt ſi aut ipſe utatur literis aut characteribus, aut aliis præſcribat remedii loco, qvorum prorſus, qvid ſibi velint, eſt neſcius: Sive ſubtilius, hoc eſt utatur, qvam Cabalam vocant, Magiâ commatis ſubtilioris. Eſt & manet ars machinaq; Diaboli, qvemcunq; etiam induerit titulum. Vix potuiſſet qvicqvam excogitare μυϱιοτεχνίτης ille, qvô plus ſcripturæ ipſius Sacræ ac miraculorum dignitati derogaretur. Indigna eſt homine Chriſtiano illa ars (*ſi modò ars eſt, ut ille Curt. lib. VIII, c. 4. ait, non vaniſſimi cujusvis ludibrium*) qvâ ad atheiſmum haut via datur expeditior. Cabalâ enim illâ admiſsâ poſſe nos itidem ad exemplum Servatoris noſtri ægros etiam conclamatos reſtituere vel ſolis verbis, omnino eſſet aſſerendum. Qvô dici aut cogitari nil poſſe abſurdius, vel qvivis intelligit cultus Divini ſtudioſior. Pro re igitur natâ Phyſicen addiſcant non artis tantum Medicæ, ſed & Theologiæ cultores in ætate adhuc florentiore; ne pòſt rerum Sacrarum conſulti, qvò usq;

tamen

tamen pateant fines rerum naturalium, ignari, graviter in eo etiam ſenes hallucinentur. Artis qvoq; ejusdem gnarum arbitror eſſe clericum qvendam, qvi ægros etiam periculoſisſimè decumbentes ſolo ægri ac parentum nomine intellecto vel abſentes paucis tantum horis elapſis, fertur feliciter priſtino reddere ſanitatis vigori. Niſi in herba qvod dicitur, opprimatur illud virus, vereor ne latius gliſcat, & in ipſorum qvoq; audientium animis (abſit verò omen!) ſuas agat radices. Et tantum etiam de his.

SECTIONIS POSTERIORIS
Præfatio.

HActenus de illis eſt actum in qvibus aut nulla prorſus, aut fruſtra lateant arcana; Nunc progreſſum oportet faciamus ad alterum illud, in qvo igitur conſiſtant demum. Hoc eſt qvænam ſit via arcana indagandi expeditior, qvæ non longius eſt ab Indis remotioribus, aut antiqvitatis ipſo receſſu, ſed à praxi hoc eſt verâ medendi methodo arceſſenda. Cujus qvidem beneficio vel ea interdum, qvæ & vulgo nota ſunt & trita, adeoq; ipſis ſolent doctioribus ſordere, uſu ipſo redduntur ſecretiora. Qvod qvidem ipſum videtur ſenſiſſe qvondam *Capivaccius*, qvi de ſecretis ſuis rogantibus Germanis aptiſſimè fertur reſpondiſſe: Legite meam praxin, & invenietis mea ſecreta. *Felicis Plateri* Medici qvondam ac Profeſſoris oppidò Inſignis praxin Medicam tanti faciebat & facit Magnus *Sylvius* Medicus & Profeſſor Lugduno-Batavus Incomparabilis, ut de cathedrâ in honorificâ ejus mentione ac laudibus occupatus non ſemel proruperit in hæc verba: Legite *Felicem Platerum*, qvi praxin ex ſuâ praxi conſcripſit. Ita eſt, tyrones Optimi, (vobiſcum

biſum enim mihi res eſt) ex praxi huic aut illi medentium vera demum naſcuntur arcana, eaq; pro caſuum varietate varia. Et qvamvis praxis ex theoriâ credatur oriri; Ex praxi tamen & ipſam oriri theoriam poſſe, minimè eſt obſcurum. Annus jam agitur decimus qvartus circiter, cum ipſe Helmſtadii agerem eô qvidem tempore, qvo depaſcens illud, & ſuis incolis ædes hinc inde viduans contagium miſerum in modum graſſabatur Brunſwigæ; retulit mihi jam tum Amicus qvidam, dixiſſe Magnum *Conringium*, è re natâ poſſe ibidem peſtis, qvæ abſtruſior qvidem eſt, theoriam hoc eſt genium indolemq; ex praxi penitius aliqvantò cognoſci. In ipſius qvoq; Hippocratis ſcriptis non dubium eſt, qvin multa lateant arcana, modò advertantur & intelligantur rectius. Ad qvorum intellectum pleniorem nihil proderit æqvè ac praxis. Qvam qvoq; ipſam fovere ſententiam videtur trium Medicus Imperatorum *Crato*. Hinc in Epiſt. ad Manav. *Nulla*, inqvit, *commentaria tam me in lectione Hippocratis adjuvare potuerunt qvam ipſa praxis. Hæc cum iis, qvi Hippocratem nobis illuſtrare ſtudent, deſit, qvam frigidè ſæpe nos doceant, animadverto.* Hæc *Crato.* Praxeos igitur ipſius cum tantus ſit fru-

 ctus,

ctus, tanta item arcana redundent ex medendi methodo ritè & prudenter inſtitutâ; non ipſam qvidem medendi methodum aut praxin tot Medicis textam uberius, cum tædio hic legentium retexemus; Sed breviter placet & ὡς ἐν παρόδῳ oſtendere tyronibus, qvomodo cum ex medicaminum tum morborum cognitione accuratiore (inventis recentiorum præprimis in partem adſcitis) nec non legitimâ cum applicatione, tum miſtione medicaminum prudentiore vera demum arcana unusqvisq; medentium ſibi poſſit acqvirere. Sed de ſingulis ſigillatim.

CAP. I. SECTIONIS POSTERIORIS. Agit, qvid vera medicaminum cognitio faciat ad inveſtigandi arcana. Et qvidem.

Artic. I. de Aromaticis ſeu de dubiis qvibusdam.

DE medicamentis cognoſcendis cum & plenius ſit & uberius actum in comm: noſtro de ſimpl. facultat. cognoſc. qvi totus occupatur in hoc negotio, placet nunc qvidem (ut ne cramben bis coctam cum ipſo legen-

legentium tædio reponamus) παρέργως & velut tranſcurſim delibare qvædam ſive omisſa, ſive dubia jure merito attexenda: Adeoq; præſens caput veluti appendicis vicem gerat commentarii noſtri de ſimpl. facultat. cognoſc. De Aromaticis ibi dictum eſt inter alia & paſſim & uberius, in primis in artic. 2. Section. Septimæ. Cum autem *Bartholinus* Incomparabilis Patronus meus ſummè Venerandus in aureâ ſuâ de medicamenris inqvilinis cognoſcendis epiſtolâ commentario noſtro de ſimplic. facultat. cognoſc. præfixâ, qvæ ſingularis ejus humanitas eſt, dubiis ſuis perqvam Egregiis, qvæq; punctum merentur omnium me & erudiat, & meum qvoq;, ſi qvod meum eſt, judicium expectet; oportet inſtar diſcipuli ad verba Magiſtri eâ, qvâ par eſt, veneratione, qvæ ſeqvuntur, reponam in hoc articulo. *Cordialia* (inquit Magnus vir) *ea eſſe* (ſermo autem de aromatibus eſt) *juxtà tecum ſentio dubitare tamen licet.* 1. *An in calidis regionibus nata nobis frigidioribus expediant.* 2. *An legitima ad nos deferantur.* 3. *An ea veterum nomenclaturæ reſpondeant. & deniq. 4. An non alia noſtro temperamento noſtrisq; affectionibus magis convenientia his peregrinis poſſint ſubrogari? de ſingulis tuum calculum expectabo.*

Ad primum regerimus, per aromatica nobis intelligi non aromata tantum illa exotica ex locis ad nos remotioribus advecta; Sed ad mentem Magni Præceptoris noſtri *Sylvii* vocis ejusdem latius ſumptæ complexu contineri omnino noſtratia ſive odore ſive ſapore aut utroq; aromatico aut aromatico non multum abſimili gaudentia (ut innui in comm: de ſimpl. facult. cognoſc. Artic. 2. Sect. VII, p. 135.) Hinc in toto commentario, ubi eorum paſſim fit mentio, non aromatis voce uſus ſum, ſed aromatici; ut non excluderem noſtratia, qvalia ſunt petroſelinum noſtrum, Chærefolium, ſerpillum, origanum, meliſſa, angelica Caryophillata, valeriana, & id genus alia odore pariter ac ſapore aut ipſo aromatico aut ad aromaticum propius accedente nos recreantia mirum in modum; qvæ haut ineptè aromata appellaveris ſeptentrionalium; Qvorum uſus, uti maximè proficuus; ita etiam oppidò fit freqvens non in fonte tantum pharmaceutico, ſed & diæteticо. Soleo ægris meis in primis in morbis chronicis uſum commendare jusculorum gallinaceorum non aromatibus illis exoticis, ſed noſtratibus hoc eſt petroſelino, Meliſsâ, majoranâ aut id genus ſimilibus probè conditorum,

rum, freqventiorem. Fateri etenim cogor & ipſe, non æqve exceſſu ſuæ craſeos, ac exotica illa calidiora obeſſe temperamento noſtro, ſed convenire apprimè: Qvamvis aromatum qvoq; uſum exoticorum puta mac: cinamomi, croci, piperis &c non diſſuaſerim penitus, cum dotes eorundem Medicas inſignes & ratio & experientia planiſſimè doceant. At altioris indaginis eſt ac pluribus meretur explicari tam inſigne tanti illius viri dubium. Qvod qvidem frigidè intellectum ipſi rationi videtur reluctari: ſed rectius expenſum ad rigidam judicii ſagatioris lancem nihil verius dici hoc ipſo poteſt. Primâ qvidem fronte aromatum exoticorum in locis calidioribus natorum uſus videtur noſtratibus ut frigidioribus maximè conveniens; cum id ipſum ſuadeat catholicus medentium canon: Contraria contrariis curantur. Hinc Medici Cordatiores ægris ſuis phlegmaticis cibos ſolent aromatibus probè conditos commendare. Verum qvidem eſt, & obtinet omnino, ut in morbis frigidioribus, aromaticis ſive noſtratibus ſive exoticis cibi condiantur probè, ſed in eo vertitur litis ſopiendæ cardo, qvod aromatum intuitu exoticorum non primæ tantum qvalitates ſoli, ſed genius ejusdem

proprius ſit attendendus, cum ſuum ſibi ſuccum familiarem ex terra attrahat unaqvæq; plantarum (ceu fuſius docet *Coſtæus* de univerſâ ſtirpium naturâ, & ipſi qvondam in diſput. de vitâ & ſanitate plantarum) qvo expenſo tota qvoq; aromatum exoticorum craſis eſt expendenda, ad qvam ſi collatum fuerit temperamentum noſtrum, omnino videtur aſſerendum, in locis noſtratibus naſcentia ipſi eſſe convenientia magis ſi aut uſum ſpectes freqventiorem aut doſin largiorem. Non uſum igitur aromatum exoticorum, inprimis cinamomi mac. croc. Zingib. piperis & aliorum legitimum damnamus; ſed abuſum, cum in freqventiâ nimiâ, tum in doſeos exceſſu conſiſtentem. Qvippe non diffiteor (uſu id qvotidiano evincente) magnas latere virtutes in aromatibus illis exoticis; interim cum inſigniter ſint calida, non dubium eſt, qvin etiam in qvâvis conſtitutione & doſis largior & uſus crebrior calorem incendere nativum, viſcera debilitare, & alia ejusdem generis incommoda qveat ſanitati conciliare. Cave enim exiſtimes, vim poſſe caloris nativi à frigoris tantum exceſſu enervari. Calor ipſe plus juſto intenſior in cauſa ſæpius eſt, ut gradibus nimium adauctis, & ipſe nativus deflectat à ſuo vigore.

vigore. Crocus & in tempore & in debitâ convenientiq; qvantitate in uſum tractus remedium eſt planè Divinum, ſed ſi exceſſeris nimium, veneni inſtar poteſt nocere. Qvocirca mulierculis noſtris ingens committitur abuſus vix juſculum aut cibum qvemcunq;, cui non aliqvid aromatis addant exotici, condientibus. Cum tamen utroq; interdum modo vacillent, vel nocendo vel utilitatis parum afferendo; hinc qvidem ſi parcius addiderint, illinc verò ſi largius juſtò. Et certè qvid aliud ex continuo & qvotidiano calidiorum uſu, niſi noxa ſanitati, & bilioſis inprimis ingens. De croco ſcitè & eleganter, ut omnia Cl. *Hoffmannus*, *trahitur*, inqvit, *apud nos in culinas luxus potius qvam uſus gratiâ. Licet enim concoctionem juvare posſit, tantillum id tamen, qvod patinas tingit, parum poteſt. Sed & non multum licet accipere*, qvia, *ut dicetur*, *caput ferit*. Hactenus *Hoffmannus*. Noſtratium autem, qvorum facta jam antè eſt mentio, aromatum (ſi ita liceat appellare) longè diverſiſſima ratio eſt. Ab horum enim uſu (ſi cibi condiantur probè) haut facilè mali qvicqvam eſt metuendum, cum & alimenti vice fungantur & medicamenti, illinc nutriendo hinc citra caloris exceſſum ingentem viſcerum obſtru-

obſtructiones blandè aperiendo, urinam movendo citra moleſtiam, alvum item ipſam, attenuatâ pituitâ leniter in nonnullis laxando. Tutior igitur ut ut freqventior, nec ſuo tamen fructu carens noſtratium uſus eſt. Neq; verò tam ſtrictè hæc cupio intellecta, ac ſi uſum aromatum exoticorum omnem (ut innui jam antè) culinâ juberem exulare; ſed qvæ dicta hactenus ſunt, abuſum tantum inſignem attingunt. At verò occini nunc jure poteſt, uſum nihilo minus aromatum ad civitatem Medicam admittenti, *an ipſa etiam ad nos deferantur legitima*, ſitq; adeò acceſſus ad alterum illud Magni *Bartholini* dubium. Certè ſi id qvod res eſt, velim fateri, non heri demum aut nudius tertius, ſed dudum obtinuit mos ille perverſus non aromata tantum, ſed & alia exotica pretioſa adulterandi. Argumento nobis eſt vel unicus lapis Bezoar. Qvot enim & qvales ejus adulterandi circumferuntur modi! in qvibus adeò exercitati ſunt nonnulli, ut ne prudentiſſimus qvisq; interdum fucum qveat illum olfacere. Fatetur in coll. in pharmacop. Schröderi habito *Johannes Michael* Profeſſor qvondam Lipſienſium Celeberrimus, ſibi lapidem hujusmodi oſtenſum eſſe à mercatore tam exactè veri naturam

turam Bezoar æmulantem, ut niſi edocuiſſet, vel Jovem lapidem verum eſſe ac legitimum juraſſet. Modum adulterandi ipſum paulò plenius ex Criſtoph. Acoſt. tradidit Caſpar *Baulinus* in tract. de Bezoar cap. 30. Sed à lapide Bezoar reditus ad aromata (à qvibus paululum videor digreſſus, qvæq; hujus ſunt loci) ducit nos ad examen croci, cujus itidem ſui dantur & varii, qvibus adulterari conſuevit à Seplaſiariis, modi: Huc faciunt verba *Plinii* Hiſtor. natural. lib. XXI. cap. 6. dicentis, *adulteratur nihil æqvè. Probatio ſinceri, ſi impoſita manu crepat velut fragile. Humidum enim, qvod adulteratione evenit, cedit. Altera probatio, ſi manu prolatum ad ora leniter faciem oculosq́ mordeat.* Hæc Plinius. Adulterationis qvoq; ejusdem meminit *Hoffmannus* lib. 2. de Officinal. cap. 74. his verbis. *Qvomodo olim falſificatus* ſit (crocus) *dicat tibi Dioſcorid. Hodie ſcribit Coſt. in diacurc. maj. Meſues Adulteratur carnis bubulæ filamentis: Sed adulterium deprehenditur ab iis, qvi ſæpe tractârunt crocum ingenuum; color enim eſt minus vividus, nec inficit manus.* Idem paulò pòſt paginâ eâdem. *Qvi vulgo venditur, ferè eſt corruptus cartamo aut cnico, qvem crocum Saracenicum vocant, tinctores ſaffarolo. Facit cibos viroſos & ingratos.*

tos. Miſcent ῥωποπῶλαι *etiam crocum Indicum, qvi radix eſt curcumæ non diſſimilis.* Hæc *Hoffmannus.* De qvo conſuli qvoq; poſſunt *Carc. ab horto* 1. Aromat. c. 39. & Acoſt. cap. 30. In piperis etiam electione ingenti opus eſt cautione, qvod candidum eligatur, non verò nigrum aut adulteratum. Qvod nigrum attinet, ſunt qvi immaturum minus nigrum putant, maturum verò nigrum & rugoſum magis. Qvorum error refutatur Cl. *Hoffmanno* lib. 2. c. 175. his qvidem verbis. *Hypotheſis eſt falſa. Conſtat enim experientiâ noſtrum nautarum, qvò maturius piper eſt, eò albius. Succinit his Cluſius, cum ait in Garz. piper album & non rugoſum, qvod pingit acrius & odoratius fuiſſe. Nimirum in univerſum ita eſt, natura coqvendo ad candorem accedit, qvô tempore niſi decerpatur piper, tum verò* ὑπερρωπισμένον *καὶ* ὑπερεξηρασμένον *fit. Es verdörret und verhützelt am Stam. Hoc verò non accidit* ὄμφακι *(qvia natura non facit ſaltum) ſed poſtqvam planè maturuit. Et hæc eſt explicatio hujus loci Phyſica, in qvâ acqvieſco. Ex hac intelligitur, qvatenus in pipere noſtro locum habeat electio, ut ſit candidum, non rugoſum.* Hæc verba ſunt *Hoffmanni*, qvibus obviam ivit tot Medicorum

rum juxtà ac pharmacopolarum errori, in qvo qvidem ipſo verſari qvoq; viſus eſt aliàs ſubtilitatis ipſe Magiſter *Scaliger* Exercit. 148. de ſublitate contra Cardanum. *Rotundi, inqvit, ſpecies tres à regionibus, Indum, Taprobaricum, Æthiopicum. Ab ætate duæ, immaturum minus nigrum, maturum nigrum ac rugis criſpum.* Tantum ille. De adulteratione piperis paſſim familiari res itidem plana eſt, cum non unus detur impoſtoribus adulterandi modus, qvem Galeni ipſius tempore jam innotuiſſe, vel inde patet, qvod aliqvot in locis idem conqveratur, piper longum ſuo tempore certâ qvâdam hérbâ fuiſſe adulteratum, uti author eſt Cl. *Hoffmannus* lib. 2. de Officinalib. cap. 175. Non dicam de amomo, (qvod itidem herbâ, qvæ amomis, ſcribit adulterari Jonſton. in notit. regn. vegetabil. cap. IV.) de cardamomo & aliis ejusdem commatis, in qvibus, nullum eſt dubium, qvin idem qvoq; obtineat, ut ad nos advehantur aut adulterata ſæpius, aut notæ etiam ſeqvioris ſitumq; redolentia. Qvod non in aromatibus tantum, ſed & aliis exoticis probè advertendum medentibus eſt, ſi ritè velint, & cum commodo ægrorum ingenti artem Medicam facere. Qvibus vix melius ſug-

gerá

geri poterit conſilium, qvàm ut cauti ſint cum in inſpiciendis ipſis probationum ſignis ſedulo authoribus inculcatis; tum ut ſi vel leviſſima aut adulterationis, aut virtutis exoletæ (qvod & odor & ſapor erudire peritum cenſorem poteſt) incidat ſuſpicio, aut noſtratia ſubſtituant, aut omittant prorſus, ne obſoleti ac pæne corrupti medicaminis additione vis ingredientium reliqvorum aut obtundatur, aut imminuatur certè. Qvod enim tota medicaminis compoſito vel unius obſoleti additione mirum in modum poſſit labefactari, ipſe his in locis didici experientiâ. Ante triennium, & qvod excurrit, milieri Honeſtiſſimæ in dolore capitis exqviſitiſſimo potiunculam præſcripſeram alterantem pariter ac evacuantem leniter ex radic. pæon. Cichor. Scorton. 5. aper. ex Fol. Betonic. fl. Borrag. violar. bugloſſ. ex ſennâ & rhababoro cum ſuis corrigentibus. Cujus uſus ægræ huic & converiens erat, & proficuus admodum; cum bis vel ter in dies blandè citra ullam moleſtiam ſolverit alvum, tanto qvidem cum fructu, ut ope Numinis Propitii vel hujus beneficio ſolius fuerit brevi, non neglectis tamen externis, ſibi ipſi reddita. Abſumptâ potiunculâ præſcripſi qvidem eandem, foliis tantum chamædrios additis ad

vires

vireſejus augendas. Sed tantum aberat, ut augerentur vires, ut ſuo potius effectu deſtitueretur hæc potiuncula à priore cùm odore tum ſapore prorſus aliena. Re accuratius inquiſitâ deprehendi, chamœdryn additam admodum fuiſſe exoletam, & virtutis adeò omnis expertem. Juſſi igitur priorem præparari abſq; foliis chamœdryos, & egregiè voto reſpondit eventus. Qvam qvidem hiſtoriam ſeu errorem potius Pharmacopolarum fuſius hic placuit recenſere, ut pateret tyronibus noſtris, qvanti referat ad vim, ut Medicamina eligantur maximè vegeta & ſucculenta ſatis. Tertium qvoqve dubium, *an veterum nomenclaturæ reſpondeant aromata*, haut parvi momenti eſt. Cum lis Botanicorum de varia appellatione plantarum, & an veterum reſpondeant nominibus, facilè poſſit in diverſa vel rei Botanicæ Conſultisſimum trahere. Qvippe, ut alia non tangam, vel ſola aëris & culturæ nec non ſoli diverſitas tot in cauſa videtur litium, tot qverelarum de deſcriptionibus plantarum fallacibus. Multa etenim ſunt obvia, qvæ parum aptè videntur ſuo nomini, qvod obtinent ævo adhuc noſtro, reſpondere. Ceu innui jam tum obiter *in tractat. de malo citrio cap. 1. Artic. 2.* Qvæ uti vera ſunt in genere, ita commodè merentur dici de aroma-

H tibus

tibus, de qvibus tantus datur litigantium campus, tanta diverſitas diſſentientium, ut poſſint vel rigidiſſimum cenſorem fruſtrari: Uti vel ſolæ de cubebis, de malabathro, de nuce moſchatâ controverſiæ, argumento ſunt, qvæ, cum ignota videantur veteribus fuiſſe, aliæ atqve aliæ opiniones natæ ſunt Botanicorum recentiorum ad nomina veterum reſpicientium. Hinc de malabathro Dioſcorides lib. 1. cap. XI. *Malabathrum*, inqvit, *arbitrantur aliqvi eſſe Indici Nardi folium, falſi qvâdam odoris cognatione. Permulta enim nardum olent, qvemadmodum Phu, aſarum, iris. Secus autem ſe res habet. Namqve malabathrum folium ſui generis eſt, qvod Indicæ gignunt paludes, lentis paluſtris modo innatans aqvis ſine radice.* Hæc ille. De malabathro prolixius agens CL. *Hofmannus* lib. 2. de Officinal. cap. 38. Inter alia *cujus rei*, ait, *an certa ſint veſtigia apud antiqvos, qvod illi volunt, eqvidem ignoro. Qvod enim Guilland. in defenſ. XX. problem: contra Matthiolum urget, Plinium diverſis locis egiſſe de utroqve, ideò diverſa eſſe medicamenta, apud me nihil habet ſolidi, ut jam non diſputem, an Plin. lib. 12. c. 12. diverſum medicamentũ deſcripſerit ab eo, qvod paulo inferius. c. 16. Certè qvod folium ibi dicit, eſt folium nardi, hoc verò eſt non ſimpliciter dicere.* Et paulò pòſt idem, *Sed*

qvid ago? volui uno exemplo oſtendere, qvàm frivoli ſæpe ſint Botanici noſtri in aſſertionibus ſuis. Qvò minus expectet à me qvis, ut pluribus occuper in liticula illâ, an folium ſit diverſum a malabathro. Huc usqve *Hofmannus.* De Cubebis nil certi itidem apud veteres (teſte *Jonſtono* notit. regn. vegetabil. cap. IV.) Unde ipſis qvoqve Botanicis oritur pomum illud Eridos, aliis piper Hippocratis, aliis amomi legitimi fructum, aliis carpeſion Galeni, aliis ſurculos caryophyllorum puſillos, aliis aliud cubebas interpretantibus. Uti ex *Scalig.* de ſubtil. contra Cardan. Exerc. CXLVIII. *Hofmanno*: de officinal. lib 2. cap. LXXV, *Jonſton.* loc. antè laudato idem licet addiſcas. Neqve verò nux moſchata veteribus videtur innotuiſſe, cum authore *Hofmanno* ipſa arbor ante annum 1600. nemini fuerit viſa. Qvæ & ipſa haut parum qvoqve exercuit Botanicos. Unde CL. *Hofmannus partes*, ait, *nucis non minus qvàm juglandis qvatuor ſunt, in qvibus laborant noſtri, ut nomina vetera illis concilient fruſtra: Et paulò pòſt idem. Inter eos qvi macin noſtram volunt eſſe macerem Dioſcorid. lib. 1. c. 94. Julius Alexandr. eſt, qvi profectò nimis operosè nihil agit. Tantæ malis erat! huic paria velle facere, eſt bono tempore malè abuti.* Qvod ipſum qvoqve attigit Subtiliſſimus *Scali-*

ger de ſubtilitat. contra Cardan. Exercitat. CXLV. *Cutis, inqvit, coriacea, qvam vocant Arabes macin. Non enim macer aut macbir eſt, ut ſcribis tu. Cui etiam vel fruſtra vel temere, ut Galeno atqve Dioſcoridi hiſtoriam tuam conciliares, adſtrictionem attribuiſti, multam calefactionem qvaſi ceßim ſubtraxiſti, hoc enim de ſuo machire uterqve eorum ſcribit. Cum tamen macis adeò calefaciat, ut ei pauca ex odoratioribus æqviparentur. Qvæ fuit cauſa, ut de maci ſeparato capite ſcriberet Aboali, de taliſafar alibi ea omnia, qvæ de macere Dioſcorides.* Huc usqve verba Scaligeriana. In tanto igitur, pro re natâ, Botanicorum, nomina veterum dictis aromatibus conciliare allaborantium litigio, ſacræ erit inſtar anchoræ, (meô qvidem, ſi qvod eſt, judiciô) qvam lib. 2. de Officinal. cap. LXXV. Clariſſimus *Hofmannus* ad diſſenſum Botanicorum de Cubebis, ſuppeditat, reſponſio. *De facultatibus oportet* (ait) *judicare non ex ullis veteribus libris Græcorum Arabumve, ſed ex ſenſu & recentiorum experimentis. Qvoad ſenſum; qvia cubebæ noſtræ ſic ſatis acres ſunt, ſic ſatis amaræ, ſuperante modò hoc modò illo ſapore cum odore non injucundo, hinc calidas & ſiccas dicunt meritò omnes.* Qvæ de Cubebis hìc *Hofmannus*, ad alia qvoq; aromata certâ ratione ſat commodè licet accommodare, Sci-

re. Scilicet non nomina nos morantur, an conveniant cum veteribus nec ne, modò ſatis nobis faciant & odore ſuo & ſapore, virium utroqve Medicatum indice; ipsâ qvoqve in partem accedente experientiâ. Qvarto deniqve dubio Bartholiniano, (*An non alia noſtro temperamento noſtrisqve affectionibus magis convenientia his peregrinis posſint ſubrogari*) cum ex reſponſione noſtra ad dubium illud primum lucis qveat nonnihil accedere, paulò erimus in eô breviores, rati, omnino poſſe pro illis peregrinis ſubſtitui noſtratia, cum in tota morborum ſerie morbus haut detur facilè, cui domi noſtræ, hoc eſt in locis borealibus ſua non ſuppetant medicamina, viribus qvoqve, ſi non ſuperiora, at certè paria ipſis exoticis. In ægris qvoqve nonnullis, ob affinitatē craſeos tantus cernitur fructus, ut, qvi noſtratium purgantibus exoticis fortioribus haut potuerunt irritari; vel rob ſambuci aut alio qvopiam domi naſcentium largisſimè ſint expurgati. Uti expertus didici non ſemel. Aromata verò, cum gerere aliqvam videantur cum ſpiritibus vitalibus affinitatem (ceu fuſius oſtenſum nobis eſt in comm. noſtro de ſimplic. facultatibus cognoſc.) uſus qvoqve eorundem ac vis mirifica in cordis viribus reparandis tot annorum experimentis inclaruerint;

non videntur prorſus e republica Medicâ exigenda: Poſſunt cum fructu aromaticis noſtris admiſceri, ut ex utriusqve adeò miſturâ gratus oriatus concentus. Ex his omnibus nunc patet, qvam ardua ſint illa dubia qvàm inſignia & vero maximè conſentanea Magni noſtri *Bartholini* ipſius Medicorum Phœnicis, qvæ more diſcipuli dictis ſui Magiſtri obtemperantis, qvæ ingenii mei tenuitas eſt, rudi qvod ajunt Minervâ diluere placuit paucisſimis, integrum tractatum, ſi Deus dederit, in ipſam domi naſcentium hiſtoriam ad *Bartholini* Incomparabilis exemplum meditanti.

Artic. II. Cap. I. Sect. II.

Agit de diureticis & qvi inde arcana ſint derigenda.

DE diureticis hic, & qvomodo inde ſint arcana invenienda pro inſtituti noſtri brevitate perpauca dicturis via videtur difficilior: cum tam ingens detur hic confuſionū pelagus, tot fluctus opinionum, ut vix pateat, qvò felici ad portū itinere liceat emergere. Alii qvidem crasſius philoſophantur, totam διυρέως naturam in humido igneo qværentes; qvorum error exploſus jam tum eſt ipſius naturæ arcano-

rum

rum conſultisſimo *Scaligero.* Exercit. CLV. de ſubtilitate: ubi adverſus Cardanum his verbis; *Raperis,* inqvit, *ad carduos, de qvibus ſic: Carduorum genera omnia urinam provocant. Qvod igneum humidum neceſſariò abundet. Qvamobrem cum parum prodeant comparatione magnitudinis foliorum; exuſtum oportet eſſe humidum, qvod intus eſt, ſuccumqve edi amariſſimum. Nec hìc pauca diſpicienda. Non enim verum eſt, ignea humida omnia urinam provocare. Neqve omnia qvæ urinam cient, humido conſtare igneo. Prioris exemplum eſt ab oleo calefacto. Non enim facit hoc. Non aqvâ dilutum euphorbium. Nec tithymalorum ulla ſpecies aqva decoctâ: Sed nec cinaræ ipſius radix, qvæ ab Aetio dicitur craſſas materias per urinam detrahere, valde humida eſt, qvin ſiccior qvàm humidior.* Hæc Scaliger. Alii verò in ſicco qværunt: Verum vim διουρητικὸς omnem non poſſe in ſicco reſidere (qvamvis ſiccum ſuum hic omnino addat ſymbolum) vel qvivis intelligit. Ad rem videntur propius accedere, qvi in humido reponunt aëreo, uti patet in oleoſis, qvæ vias urinæ leniendo urinam creduntur omnino provocare. Sed neqve his via patet elabendi, cum de propriè dictâ vi diuretica omnis agitetur qvæſtio. Nervum igitur ipſum attingunt, qvi ad totam craſin confugiunt ſeu

ad totam, uti vocant ſubſtantiam (modum ſubſtantiæ apellat Clariſs. *Hofmannus* in pathalog, rejectan.) Exemplo *Hippocratis* lib, 2. de ratione victus acria ac odorata urinam ciere affirmantis. Sed neq; hic aptè inter ſe omnes conveniunt. Cum nonnulli vim διȣρέσεως illam collocent in tenui tantum ſubſtantiâ, ipſo calore tertii gradus in partem qvoqve admiſsô. Sed nec illa talo fulciuntur firmiore, cum multa dentur in hoc cenſu & verè & propriè dicta diuretica, qvæ neq; ad eum caloris gradum aſcendunt, neqve tenuis adeò ſubſtantiæ ſunt, ut non multum qvoqve inſit amaroris, partium indicis craſſarum. Exemplo ſunt vel ſoli cortices citrii vi urinam movendi inſigni pollentes, cum tamen neqve amaroris ſint expertes, neqve eum caloris gradum attingant. Qvid? qvod nec ipſa exempla illis authoribus allata, uti Eupatorium, radices petroſelini, chamæpithys, amygdalæ amaræ &c. hujusmodi notæ ſint omnia. Sed hoc paſſu putant diuretica diſtare à menſes cientibus: Qvod menſes cientibus præter tenuitatem nonnihil partium inſit craſſarum, ut ſic morâ aliqvâ ad partes delata remotiores, obſtructiones reſerent felicius; unde ad album illorum commodè cenſent referri poſſe acri-amara, Sed neqve hoc pacto via

pedi-

pedibus eſt proviſa; cum adhuc videantur, uti exempla qvoq; arguunt, aptè coincidere cum diureticis. Qvod enim de menſes moventibus illi, id ipſe de urinam provocantibus dicerem jure potiori. Qvippe vim diureticam verè ac ſtrictius dictam amara obtinent omnino, cùm qvod vis abſtergendi mirifica inſit; tum ex mente chymicorum, Salis qvoqve permultum ſive fixi ſive volatilis, cui vim denegare urinam ciendi, ipſi eſt experientiæ obviam iviſſe. Prout igitur nunc res eſt, in acri-amaro vim pono diureticam, ratus vim διȣρέτικος totam verſari in tenuitate ſubſtantiæ cum partium aliqvâ craſſitie: In qvo qvidem ipſo & menſes cientium: Unde propter affinitatem eandem plerumqve urinam provocantia menſes qvoqve provocant & contra. Differre igitur, me qvidem judice, tantum videntur gradibus majoris & minoris, ita qvidem, ut vis penetrandi major ex tenuitate ſubſtantiæ nata in menſes qvàm urinam cientibus; Contra ſiccandi major in urinam qvàm menſes moventibus reqviratur. Sed ad rem. Diuretica igitur ſunt cum acri-amara, tum aromatica etiam illa, qvibus præter acrem dulcedinem aut amarities ineſt manifeſta, uti in angelica; aut amaroris tantum nonnihil, uti in aniſo; eſt neqve non ſalina

pariter ac nitroſa. Dantur & alia urinam cientia, ſed propriè minus, qvalia refrigarantia, qvæ utiqve in cauſa ſunt διουρέσεως ſangvinem aduſtum contemperando, de qvibus cum paſſim loqvantur & uberius Practicorum libri, ad alia opus eſt properatu. Urinam qvoqve movent impropriè ipſa purgantia cum fructu interdum maximè ſingulari; Unde non immeritò ſacri inſtar aſyli habenda videntur elyſmata in lotii ſuppresſione diuturniore. Notatu digna eſt, qvam de effectu hujusmodi *Chriſtianus Langius* recenſuit, hiſtoria in miſcell. ſuis Med. curioſ. cap. VI. *Non ita pronuper*, inqvit, διοῦρικος, *qvi per integrum utiqve qvatriduum ſuppresſione laboraverat urinæ, vir mox atqve mox qvadrageſimum ætatis annum completurus, plethoricus alioqvin, & laudatâ corporis conſtitutione præditus, ſed clinicus propter inſignem ex vehementi ob fartim collectam urinam diſtenſione dolorem atqve continui pervigilii laborem factus auxilium meum efflagitabat. Tum ego celebratâ in cauſam inveſtigatione ab infarcturâ tenaciſimæ pituitæ cervicem veſicæ oppilantis dependere, cum omnium reliqvarum cauſarum hanc urinæ remoram alioqvin parientium ſuſpicio abeſſet, concludens fomenta & cataplasmata ex herbis emoll. & lotium cientibus item linimenta & Unguent. Ol. cappar. chamæm.*

mæm. ſcorpion. terebinth. &c. ut adhiberentur, præcepi, & cum in diuturnâ lotii retentione, diuretica ſtatim non convenire, ne diſtenſio veſicæ & dolor invitato ſic temere ſeri ulterioris effluxu exaſperaretur, jam memoriter recordarer, afflictusq; à cathetere & chirurgicis præſidiis penitus abhorreret, emollientem ſed ſtimulo ſuo non carentem clyſterem præſcripſi, qvô infusô & paulò poſt rurſum profusô tanta qvoqve urinæ cum viſcida pituitâ junctæ copia effluebat, ut adſtantes in admirationem ob tam ſubitaneam exoptati effectus felicitatem raperentur; atqve ſic ex ſententia priſtino ſanitatis favori reſtitutus aperto hoc aqvæ ductu fuit, neqve has urinæ anguſtias ultra amplius ſenſit. Hactenus *Langius.* Neqve verò longius petenda ſunt exempla, cum vel domi præſto ſint. Semeſtre agitur nondum, cum peregrè vocarer ad ſtudioſum qvendam, Fautorem & amicum ſingularem, qvi dolore admodum exqviſito ventris inferioris ac vix tolerabili & colicum æmulante cum urinæ retentione correptus miſeros præ ſe ferebat geſtus. Ipſe cauſam exploraturus deprehendi, laboraſſe illum paulò ante alvi profluvio, qvod neſcio cujus ſuaſu Nucis moſchatæ uſu crebriore fuit inhibitum. Tum ægrum, excepit dolor immanis. Qvocirca haut obſcure colligebam, viſcidæ pituitæ ingentem Copiam

piam ex ſubitaneâ alvi fluxus inhibitione ad veſicam propulſam, ibiqve affatim collectam tanti mali extitiſſe fomitem: Hinc præter unguentum anodynum, clyſterem ex emollientibus, & ſtimuli loco additis Elect. lenitivo, nec non benedictâ laxativâ conflatum protinus jubebam applicari. Cujus beneficio alvo qvinqvies ſolutâ meo pariter ac ægrotantis voto ita reſpondit eventus, ut brevi priſtinæ ſanitati æger ſit reſtitutus, reliqviis tantum vitioſæ materiæ ope Spiritus ſalis dulcis feliciter diſcusſis. Sed ipſo nunc reditu ab impropriè dictis diureticis, & arcanis ibi latitantibus rectà datur aditus ad arcana qvoqve ex propriè dictis illis oſtendenda. Non dicam nunc in plerisqve ferme morbis ſua elogia promereri diuretica, ipſa ſic cautâ ac provida rerum naturâ viam præmuniente, & in morborum declinatione reliqviarum morbificarum expulſionem per urinam moliente. De arcanis hic tantum ſit ſermo. Latet contra morbos Scorbuticos ſingulare arcanum in diureticis: Hinc ſale abundantia volatili ſudorifera juxtà ac diuretica, qvalia naſturtium, cochlearia, fumaria, abſinthium, centaurium minus, & alia ejusdem generis hic commendationem merentur ſummam. Neqve id mirum eſt, *cum ſale ſuo ſuccos figant acidos*

in ſanguine, cum ſero propellant, omniqve reſiſtant fermentationi. Nova nondumqve defæcata cereviſia ſalis manipulo aut abſinthio (in qvo multum ſalis reperitur) infuſo, clareſcit, & fermentatio, qvâ turbulenta & craſſa fit, ſtatim ſedatur, craſſæ & turbidæ præcipitantur particulæ, acidi figuntur ſales & dulceſcit. Atqve hâc ratione tartarum, abſinthii & centaurii ſales tanti ſunt in curatione hujus mali valoris; qvia ſuccos figendo & præcipitando acidos, fermentationem tollunt. Verba ſunt Higmohri de affect. hypochond. cap. VII. Hinc interdum arcana Empirica magnam excitant plebejis admirationem, fructum qvidem ſingularem, ſed operationem ipſam non advertentibus, ignaris ſcilicet, per urinam evacuari pedetentim poſſe ipſum ſcorbuti aut id genus ſimilium morborum fomitem. Qvocirca in ſcorbuticis, qvod multo abundent ſero, diureticorum, qvàm purgantium præprimis fortiorum uſus & tutior eſt & convenientior. Qvod videtur etiam reſpexiſſe Incomparibilis *Bartholinus*, hinc ait diſſertat. 3. de domeſtica Danorum Medicin. *Morbos boreales, qvia bilioſi non ſunt, ſed pleriqve ſeroſi, ab obſtructione pororum ſæpe nati, vel ſcorbuticâ colluvie, non tam electivè purgantia reqvirere, qvàm ſudorifera vel hydragoga vel urinam cientia vel alexipharmaca.* In ra-

phano

phano ruſticano non vis tantum ineſt ſcorbutum, ſed & hydropem curandi inſignis, uti multorum exemplis ſum edoctus. Non invidebo tyronibus integram hujus medicaminis deſcriptionem, qvæ ſe habet ſeqventem in modum.

Recip. Rad. raphan. ſylveſtr. mundat. & concif. in taleolos Unc. iij.
Ireos Noſtrat. Unc. iſ.
Enul. Drach. ij. ſ.
Sem. Sinap. alb. Unc. ſ.
Herb. Cochlear. Beccabung. an. Miiij.
fl. Violar. Miſ.
Croc. orient. Drach. ſ.
Cinam. elect. Drach. ij. conciſ. M. d. ad chart. S. Kräuter im Wein wider den Schörbuck.

Nec fugit ratio tanti effectus, qvod vis diuretica ingens inſit raphano, unde ejus beneficio & uberius & commodius evacuatur magna aqvæ colluvies. Vix enim commodius aqva educitur, qvàm per ſudorem & per urinam: Tutius autem per urinam, cum corpora non æqvè omnia ad ſudorem ſint apta, viſcerum qvoqve intemperies, qvæ vitanda maximè eſt, facilè in calidioribus ex uſu ſudoriferorum largiore qveat oriri. Fateor me ipſum qvondam tyronem, ſcorbuti ſymptomata, uti ſitim, calorem præter-

præternaturalem, faucium ardorem, fermentationem & alia rectiùs ponderantem, ſcorbuticis uſum raphani penitus diſſuaſiſſe, ut ne ignis addi videretur igni. Sed nunc cum rectius ſim edoctus, qvanta vis lateat in diureticis, non in ſcorbuto tantum, ſed & hydrope mihi loco arcani eſt. Qvamvis cautio omnino videatur adhibenda pro variâ ægrorum conſtitutione, cujus intuitu in aliis calidiora, in aliis temperatiora in uſum trahenda eſſe, ſcitè inculcat Thomas Willis de ſcorbuto; & nobis qvoqve haut difficile foret hoc qvidem agentibus demonſtratu. Sed redeo ad raphanum ruſticanum, qvi ingreditur qvoqve Elixir antiſcorbuticum *Rolfincii*, qvod mihi in freqventi uſu eſt, ne qvid noxæ contrahat ventriculus; cum præter raphanum aliaqve antiſcorbutica recipiat Elixir proprietatis Paracelſi. Par qvoqve ratio eſt brasſicæ, qvæ & ipſa nomen & laudes meretur inter curationes empiricas: Vis itidem ineſt & ſcorbutum & hydropem curandi mirifica, à virtute diuretica pari ratione arceſſenda. Novi amicum ſingularem officio nunc fungentem Eccleſiaſtico, qvi cum Wittebergæ tam periculosè laboraret hydropre, ut vis mali & ſymptomatum, medentium manum haut amplius videretur admittere, ipſe qvoqve æger à

mortis

mortis confinio propius abeſſe, ab empirico ope ſolius braſſicæ vino cum ſuis corrigentibus infuſæ, feliciter eſt reſtitutus, in hunc usqve diem ſuperſtes; Ratio mirabilis hujus effectus non vulgo tantum, ſed ipſis Medicis ignoratur haut rarò, fructum qvidem ipſum intuentibus, ſed rationis prorſus ignaris. Vis debetur eadem nitro, qvod ſucco braſſicæ capitatæ inprimis rubræ ineſt, qvæ huic ſcopo obtinendo eligenda idcirco eſt: Ex nitro autem vis naſcitur diuretica; διουρέειν igitur præſtat, qvicqvid hic præſtat braſſica. Veſtigia hujus effectus videtur animadvertiſſe Clariſs. *Hofmannus*, hinc lib. 2. c. XLI. de Officinal. de brasſica: *Urit enim*, ait, *ſangvinem braſſica, ſi hoc cum debito præparationis modò manè in juſtâ doſi &c. poteſt violentiâ ſuâ* (ῥᾳδίως) *graviſſimos qvosvis affectus curare, non minus qvàm ligni decoctum, alia. Qvam in rem cum Plinio uterer ſucco, qvi præcipuè ſiccando eſt efficax.* Vi nitri & virtutis adeò diureticæ febri tertianæ creditur mederi ſtercus canis candidum, hinc ait *Bartholinus* Incomparab. diſſert. 4. de domeſticâ Danor. Medicin. *Alius hoc ipſo tempore inter ruſticos pro certiſſimo arcano diſſeminavit pulverem candidum fœtidum in aceto propinatum, qvem deinde comperi eſſe candidum canis ſtercus, qvod nitro ſuo prodeſſe potuit.* Nitrum

tram enim etiam doctiorum Medicorum conſilio febrium ebullitionem figit. Hæc ille. A vi eâdem nitroſâ arbitror qvoqve deducendum, qvod inſculum galli veteris in febribus diuturnis ex pituitâ viſcidâ natis tanti valoris habeatur & commendationis, qvippe ſubſtantiâ ſuâ nitroſâ pariter ac ſalsâ videtur hic inſigniter non alvum tantum ſubducendo, ſed & vias urinæ aperiendo prodeſſe. Audiamus hâc de re *Meſuen* cap. 23. de ſimpl. purgant. (citante Primeros: de error vulg. cap. 8. lib. 3.) Ita enim ille, (interprete *Sylvio.*) *Decrepitorum autem præcipuè gallorum caro, nitroſa & ſalſa, cibo inepta medicamentoſa eſt, jure ſuo maximè, potiſſimum verò gallorum ruforum, qvi ad motum ſunt alacres, ad coitum ardentes, ad dimicandum fortes, obeſorum & macrorum medii, qvoq; vetuſtiores, eò magis ſunt medicamentoſi Galeno. Id jus ob nitroſam & ſalſam ſubſtantiam calidum eſt, lavat, tergit, tenuat, flatus diſſipat, cum ſemine anethi vel dauci, & polypodio & ſale gemmæ coctum, & dolorem ventriculi, ilium, renum, à flatibus ortum ſedat, obſtructa aperit, purgat pituitam cum turbith & cnico, ob id confert arthriticis doloribus ex hac natis &c.* Contra morbos qvoqve ſive lienis ſive pancreatis ſingulare reperiri arcanum in diureticis ritè adhibitis, ante annum

expertus ſum in viro qvodam decrepito, cui èx humoribus ſcorbuticis juxtà ac arthriticis, obſtructione itidem ſive lienis ſive pancreatis graviſſima oriebantur ſymptomata ; malô etiam ipſi jam cerebro communicatô ; unde præter dolores lateris ſiniſtri, phantaſia læſa, vigiliæ pertinaces, memoriæ debilitas tanta, ut eôdem, qvô aliqvid injungeret, temporis momentô, oblivíſceretur. Ipſe, cum urinam inſpicerem crudam, & aqvæ inſtar dulcis limpidam, nullô gaudentem ſedimento, enemate præmiſsô, aliqvot ipſi grana ſalis petroſelini (pro ætatis qvidem illius ratione) in juſculo cum chærefolio præparato, propinanda curavi, tantô ſanè cum fructu, ut ingentem urinæ copiam mitteret posterâ nocte, ſingulariter ſe & colore & ſedimento craſſiore commendantis: Ex qvo & ſenſus & memoria redierunt integra, nec non reliqva pedetentim & temporis progreſſu remiſerunt ſymptomata. Qvod didici in aliis etiam ægris, qvorum caſus hîc ſingulares recenſere, vetat inſtituti noſtri ratio. Sed ſolent hæc in dubium vocari, advertente *Horſtio* decad. vij. qvæſt. 9. *Galenus* lienem non per renes, & vias urinarias, ſed per alvum tantùm expurgari ſtatuit. Sed recentiores, uti alium horum morborum fomitem, ita etiam uſum diure-

diureticorum ſalutarem admittunt, cùm qvod corpora hujusmodi multo ſero ſalſo ac acri abundent, tum qvod ipſa accedat experientia, naturâ monſtrante viam. Solet enim in declinatione horum morborum, urina, qvæ limpida conſpiciebatur, & omnis ſedimenti expers, pòſt craſſa admodum, & inſtar lixivij, & ſuo etiam ſedimento ſat gravida apparere. Cum tanta igitur vis poſita ſit in διουρέσει, fugere haut poteſt, qvæ & qvanta ſalibus plantarum vis inſit polychreſta: Vis itidem ſpiritus ſalis dulcis eſt in aprico. Qvi unus inſtar omnium eſt in tot affectibus, in ſcorbuto, hydrope, phthiſi incipiente, febribus intermittentibus, dyſuriâ, & id genus ſimilibus. Non debere autem hæc, niſi præmiſſis præmittendis, venire in uſum, me non monente vel tyrones arbitror noviſſe. Plura hìc dicenda reſervamus capiti ſeqventi.

Artic. III. Cap. I. Sect. II.

De menſes moventibus, & obiter etiam de lac generantibus.

MEnſium vis aperitiva itidem eſt à tenuitate ſubſtantiæ derivanda, adeoqve cum diureticâ oppidò videtur convenire. Qvô-

nam autem differant pactô, cum dictum prolixiùs ſit in explicatione diureticorum, gradum facimus ulteriorem ad ipſa arcana hic inveſtiganda. Sit igitur tyronibus arcani veluti loco, qvod, cùm diuretica coincidant fermè cum menſes cientibus, delectus utiqve ſit habendus, ne effectum aſſeqvamur contrarium: Fit etenim interdum, ut myrrha, cinanomum, Ariſtolochia, 5. rad. aper. cort. citr. fœniculum & alia ad reſerendas menſium obſtructiones ſolita commendari, aut exiccando, aut urinam copioſiùs ciendo ſiſtant potiùs qvàm aperiant, ſangvine reddito ad motum ineptiore. Qvod Clariſs. *Hofmanno* lib. 2. de Officinal. cap. CCII. probè obſervatum eſt in ſalviâ. *Cum amara*, inqvit, *& acris ſit, non longè aberit à 3. grad. caliditatis & ſiccitatis. Qvamobrem in decocto qvidem menſes movebit & conceptui oberit: At ſi unum alterumve folium maſticetur, ſiccando fluidum ſangvinem corriget, adſtringendo vaſa roborabit, ut ne ſangvis eat.* Non mirum igitur eſt, Eſſentiam ligni ſaſſafras, aut alia, vi aperiendi prædita, pro conſtitutione humorum diverſâ, vi exſiccandi ſuâ felicisſimè fluxum menſium aut fluorem nimium cohibere. Qvod non in fluore tantum muliebri, ſed & in gonorrhæâ virorum virulenta mihi licuit experiri. Qvocirca

circa, ſi aperire animus eſt ſiccioribus illis, addenda ſunt, qvæ & ſiccitatem corrigant, & inſtructa ſiat vi qvâdam penetrandi inſigni; cujus notæ ſunt ſalia volatilia, ut ſal volatile ſuccini, C.C. armoniacum & alia ejusdem commatis, qvorum formulas & compoſit: videre eſt, prax. *Barbettian.* C. XI. Sed qvoniam ad menſes cientia, lac generantia aliis videntur propiùs accedere, aliis non item; obiter hic & tantùm verbô de illis. Hîc iterum labyrinthus, unde ut expediamur felicius, filo opus eſt Ariadnæo. Lac generantia videntur calida & tenuis ſubſtantiæ, ut pituitam incidendo, ſangvinem reddere aptiorem ad lactis generationem posſint; unde & ipſis haut exigua intercedit cum menſes aperientibus convenientia: Qvod cùm conſenſus & authoritas tot Botanicorum inculcat, tum diſcere qvoqve inter alios licet *ex Tabernæmontan.* lib. 1. herb. cap. 16. *Videbis*, inqvit, *anemones folia, eorumqve cum cauliculis decoctum lac muliebre potenter augere.* Et paulò pòſt idem. *Muliebria qvoq; juſta idipſum præſtare.* Hinc ipſe cum aliis Botanicis æqvè ac Medicis fæniculo, aniſo, anetho & aliis centum non dubitavit vim utramqve adſcribere & menſes ciendi & lac generandi nihilominus. De fæniculo non idem omnes.

Dioſcorid. lib, 3. cap. LXXXI. & LXXXII. Utriqve fæniculo tam ſativo qvàm ſylveſtri vim tribuit urinam & menſes ciendi: Lactis item copiam procreandi uberiorem, nec non alvum ipſam ſiſtendi. Galenus contrà omnem lactis generationem denegat Sylveſtri. Galeno videtur Clariſſimus *Hofmannus* lib. 2. de Officinal. cap. XCIV. adſtipulari: Hinc ille: *Tu verò, cave, ullô modô hæc referas ad ſylveſtre. Nam Galenus expreſſè adimit illi lactis generationem. At Dioſcorides aſſerit. Empiricus præ Dogmatico non ſtat.* Credo utriqve rei illius ſua non defuiſſe experimenta, uti poſtea, ſi lux qvædam accedat explicationis, apparebit. *Chriſtianus Langius* Profeſſor qvondam Lipſienſium Celeberrimus *cap 19. in miſcell. ſuis curioſ.* unus ſe opponit tot clypeis authorum; menſes aperiendi vim nullam ineſſe ratus illis qvidem medicamentis, qvæ ad lactis augmentum ſolent commendari; cum hæc ſibi videantur admodum oppoſita. Et qvamvis ait, ex mente & calculo recentiorum lactis ipſius ortum referremus ad chylum, planiſſimum tamen eſſe, ſangvinis, qvamcunqve etiam detractionem, ad lactis penuriam conferre omnino: Vero igitur putat ſimilius videri, ut lactis copiam ſuggerentia vi qvâdam adſtrictoriâ fluxio-

fluxiones potius cohibeant qvàm aperiant. Sed re accuratius expenſâ, ſi, qvæ arcana hic tyronibus in praxi Medicâ ſint captanda, ritè velimus & cum fructu innuere, neqve hinc oportet neqve illinc vacillemus, hoc eſt, neqve frigidè neqve rigidè nimis cenſeamus. Verùm ut nodo húic ſatisfiat ſolvendo, non una ſufficit reſponſio: Primò omnium opus eſt electione medicaminum, cum multùm variet vis Medica, an ſicca vel humida ad uſum Medicum capiantur eadem medicamina, (qvò fit interdum, ut ejusdem medicaminis alius alium deprædicet effectum, aut partes auguretur heterogeneas ineſſe) loci natalis, in qvo prognata fuerint, geniô neutiqvam neglectô. Attendenda qvoqve deinceps eſt ægrarum diverſitas, qvæ diverſæ in causâ eſt operationis; hinc fit, qvod ſalvia, fæniculum, cinamonum, myrrha & alia in pituitoſis aperiant; ſiſtant verò contrà in mulierculis ſcorbuticis, qvæqve ſeri ingenti colluvie abundant. His nunc libatis, certa ſubnectenda eſt diſtinctio, mediam velut inter menſes & urinam provocantia, naturam obtinere lac generantia, hoc eſt, neq; hinc vi penetrandi, nec illinc exſiccandi nimiâ gaudere: Interim neutra vis, tam menſes qvàm urinam excitandi ullo ipſis jure poteſt adimi. In pituitoſis igi-

 tu

tur mulierculis cùm vi ſuâ aromatica viſcerum intemperium tonumq; corrigendo, tum pituitam attenuando lactis inſerviunt auctioni, nec periculum eſt ullum, ne huic operi intenta menſibus vacent jam tum reſerandis; ſeroſis verò mulierculis videntur utroqve nomine prodeſſe, & leniter ſiccando & viſcera qvoqve ipſa roborando, qvæ utraqve faciunt multum ad γαλακτοποιητικὸν illud negotium: Et verò uti nimia, fateor, ſiccitas nocet huic qvidem negotio, ſic moderata juvat mirum in modum. Qvod ſiſtant igitur antè dicta medicamina, qvod robur addant viſceribus, acceptum ferendum ſiccitati, non adſtrictioni eſt. In qvo qvidem multi ſat graviter videntur hallucinari; falsò & præter ullam necesſitatem partes heterogeneas in nonnullis admittentes. Cujus erroris affinis qvoqve fuit Avicenna, hinc ait, meliſſæ ineſſe virtutes contrarias. Sed ſcite, (uti omnia) Clariſs. *Hofmannus* lib. 2. de officinal. cap. CXLIV. inculcat, unde contrarietas illa effectuum ſit petenda, nimirum à diverſa ægrorum conſtitutione. Verba ejus merentur adverti: *Cum invenit in corpore multas ſuperfluitates præcipuè pituitoſas, partium tenuitate fundit, & μεταςάσεις ſeu fluxiones in hanc illamve partem facit. Cum enim invenit, diſcutit,*

atqve

atqve ita diſſenteriam & colicam curat, dolores dentium & ſtupores abigit. Hinc pendet illud, qvod idem Avicenna ait, in unâ complexione ſternutationem movet, in aliâ ſedat. In aliâ hæmorrhagias excitat, in aliâ ſiſtit. Hæc ille. Tandem cum ſiccitas temperatior ſuam hic (uti antea dictum eſt) promereatur commendationem, non ineptè cum Celeberrimo Langio l. c. diaphoretica ac ſudorifera blanda in negotii illius χαλαπινήσεως ſocietatem videntur admittenda. De ſudoriferis diaphoreticis ac flatus diſcutientibus vel verbo in ſeqventi articulo.

Artic. IV. Cap. I. Sect. II.

De ſudoriferis, diaphoreticis ac flatus diſcutientibus.

Sudorifera calida ſunt & ſicca, tenuis item ſubſtantiæ ac volatilis, multumqve commercii & affinitatis habent cum prioribus, inprimis diureticis: Hinc multa diuretica ad ſudorem eliciendum magnum conferunt momentum, uti liqvet in ſalibus plerisqve plantarum. Sudorifera tamen videntur qvàm diuretica ſubſtantiæ tenuioris: Chymicis multo dicuntur ſale ſudorifera gaudere, præprimis volatili: Qvalia ſunt C. C. p[illegible]l, præpara-

 tum,

tum, item Sal volatile C. C., viperinum, Card. ben., ſumar., & alia qvam plurima & nota, & Practicis decantata ſatis. Sed qvænam hic arcana? Non dicam nunc qvod in qvovis fluxu inveterato, qvod in febribus tam intermittentibus qvàm continuis, tam mitis qvàm pravi genii ac moris, portûs inſtar exoptati ſint ſudorifera. Cum his referti ſint tot Practicorum libri. Sed id tantum tyronibus [ne & hîc aſymbolus ſim] non invidebo, qvod in aurium tinnitu moleſtisſimo, ſi fruſtra ceſſerit cæterorum uſus medicaminum, medela ſit veluti arcana [præmisſis tamen aut venæ ſectione in plethoricis, aut purgantibus in cacochymicis, aut utroq;, ſi res ita tulerit, in utrisqve] in ſudoriferis qværenda. Uti docetur perelegantet Magno *Rolfincio* in enucleatisſimâ & cedrô maximè dignâ de ſudoriferis disſertatione.

Diaphoretica & flatus diſcutientia ſunt ſatis nota, & Practicis tradita uberius: De flatus diſcutientibus nunc ad arcana qvidem inveniendа, id cupio tyronibus noſtris annotatum, qvod in doſi legitimâ vertatur totum arcani negotium: Qvippe hujus intuitu & obeſſe multum, & prodeſſe inſigniter poſſunt: Cauti qvoqve ſimus ac providi, ſi uſus illorum veniat in cor-

in corporibus multâ & viſcidâ admodum pituitâ abundantibus. Doſis ſi juſtò fuerit parcior, pituitam ſolvit in flatus, qvibus cùm diſcutiendis ſit impar, mali ipſius fomes magis magisqve augetur. Non mirum igitur eſt, ſi in exqviſitis coli doloribus ex uſu anticolicorum non ritè fortean adhibitorum pejus interdum habeant ægri. Dictum id ſibi putent tyrones de aliis qvoqve ægris, qvod de hyſtericis Clariſs. *Hofmannus* inſtitution. Medic. lib. 2. c 117. §. 20. *Odoratis*, inqvit, *offenditur mulier, qvia turbant iſta tantum & movent vapores, non verò promovent, prout omnis aliàs odor ad ſuperiora tendit ac ducit. Fœtida verò & narium peſtes diſcutiunt, expelluntqve vaporum familiam, qvoniam eorum ſubſtantia longè eſt craſſior magisqve adhærens & durabilior, ac proinde efficacior violentiorqve.*

Qvocirca in hujusmodi caſibus, qvæ in exiguâ qvantitate magnas promittunt virtutes, qvæqve in pingviore hærent ſubſtantiâ, oleorum ſcilicet deſtillatorum, ut cortic. citr. aurant. rosmarini, aniſi, Meliſſæ uſus mihi & tutior & freqventior eſt. Certè magnâ hic opus eſt cautione, ne extremo mortis periculo temere committas ægrum, ſingulare eſt & notatu dignum, qvod his in locis experiri mihi licuit in ægri cujusdam primarii affectu rariore,

cui

cui interdum tanta flatuum caterva, ex pituitæ viſcidioris copia genitorum ex ore prorumpit, tantô qvidem cum impetu & fragore, ut paucis ſanè paſſibus æger videatur ab orco ipſo abeſſe. Si enema adhibetura ipſo paroxyſmi tempore, tantùm abeſt, ut vis mali remittat, ut magis magisqve intendatur potius: Dubio omni procul ob ingentem pituitæ copiam viſcidioris; cum aliàs in hujusmodi caſibus clysma ſoleat & tutisſimum eſſe, & ab ultimâ veluti metâ periclitantes revocare. Pro re natâ author ipſi ſum, ut guttulis aliqvot oleorum deſtill, qvorum facta antea eſt mentio, inprimis meliſſæ ſtillatitii, ad materiam ſubigendam utatur; & tum demum, ſi uſus exigeret, clyſtere. Qvô facto res & curatio (Deo ſic dante) longè ſuccedit felicius. Et tantum de his pro inſtituti ratione, cum non hoc agamus, ſed hæc comm. noſtro tanqvam ſpicilegia cupiamus attexta.

Artic. V. Cap. I. Sect. II.

De venereis & antivenereis.

DE medicamentis tam venerem irritantibus, qvàm ſemen prolificum generantibus, ſparſim qvidem ſed fuſius dictum eſt in ſæpius citato commentario noſtro; cum verò

vicem

vicem velut appendicis obtineant hi articuli cum ſuo capite, placet hic pauca libare, qvæ faciunt ad arcana fortean ex ipsâ praxi comparanda. Et primò qvidem venit notandum, ne venerem irritantia confundantur cum ſemen generantibus; cum non omnia, qvæ venerem excitant, ad ſemen qvoqve conferant augendum. Venerem qvidem irritant acria ac flatuoſa: Semen verò augent aromatica ſpirituoſa & alia. Sunt, qvæ utrumqve præſtant. Qvod tamen non æqvè de omnibus integrum eſt affirmare. Multos ſolet venus vexare non æqvè tamen ad prolem procreandam ſatis idoneos: Ceu teſtes ſunt locupletisſimi tot ſenes ſcorbutici, tot item melancholici à ſalſis & acribus, qvibus abundant, humoribus ad venerem invitati, voto tamen minus reſpondente effectu, ob ſeminis aut ineptitudinem aut penuriam certè. Qvod probè adverſus Cardanum animadvertit ipſe ſubtilitatis Magiſter *Scaliger.* Hinc ille: *Ais, duo eſſe ad venerem neceſſaria, flatum & ſemen. Neqve tantum neceſſarium hoc: Et neceſſarium omiſiſti: Qvippe non eſt ad venerem ſemen neceſſarium: Sed ad generationem eorum, qvæ ſemine propagantur. Non enim coire neqveunt Eunuchi. Coëunt certè. Nonnulli etiam validè, tametſi nihil emittunt.*

Qvæ

Qvæ fuit cauſa, ut Aſianorum immanis barbaria progreſſus faceret in crudelitate. Exectos namqve pueros cùm fœminis cuſtodes adhibuiſſent, eosqve adultos poſtea cum illis in adulterio deprehendiſſent, flagitium illud à qvibusdam commiſſum, in illis qvidem mortis ſupplicio ulti ſunt; In aliis totius virilitatis amputatione. Qvod alibi dictum hic repetimus, qvia non omnia loca ſit lector excuſſurus. Qvin & pueros infeſtat tentigo, in qvibus tamen nullum ſemen eſt. At contrà calor qvidem neceſſarius. Qvamobrem ſenes, qvi flatibus vel nimis multis diſtenduntur, qviqve ſeminis habent plurimum: Calore defecti non attollunt ſiculam, ut ait facetiſſimus Poëta. Hactenus *Scaliger*, Qvænam autem ſint illa, qvæ cùm ad venerem faciunt, tum ad generationem ſeminis, in libris Medicorum paſſim, inter alios recentiorum Magno *Rolfincio* in Ordin. & method. Medic. ſpecial, commentat. lib. 9. ſection. V. cap. I. commemorantur abundè, ut adeò opus non ſit longâ ſerie catalogum recenſere. Hoc tamen παρέργως & tanqvam aliud agenti lubet attingere, an fidem ſuperent, qvæ ex Theophraſto de herbâ qvâdam Indicâ Plin. Naturali hiſtor. lib. XXVI cap. X. *Prodigioſa*, inqvit, *ſunt, qvæ circa hoc tradidit Theophraſtus, author alioqvin gravis, ſeptuageno coitu duraſſe libidinem*

contactu herbæ cujusdam, cujus nomen ſpeciemqve non poſuit. Ejusdem qvoqve meminit *Scaliger* Exercit. LXXV. de ſubtilitate contra Cardanum. Sic enim ille. *Ex Theophraſto commemoras herbam ab Indo allatam : qvâ ſaptuagies coëundi poteſtas ſoveretur atqve redintegrata conſiſteret. Multa ex Indicis offerebant ſeſe navigationibus, qvibus hic illuſtraretur locus.* Et paulò pòſt de aliâ radice idem. *Eſt in Atlantis jugis occidentalibus, qvæ pars Surnaga ab incolis nuncupatur, radix qvædam, cujus eſu ad venerem augendam continuandamqve mirificè corroborentur. Qvin ajunt : ſuper eam ſi qvis urinam reddiderit, illicò turgere libidinibus. Virgines, qvæ præſunt paſcuis, ſi ſuper eâ ſedeant, aut urinam faciant, eis perinde rumpi naturæ membranam, atqve ſi à viro fuerint vitiatæ.* Huc usqve *Scaliger.* Qvæ ultimo loco afferuntur de radice illâ, an vero conſona ſint, an minus, non diſputo, viderint id doctiores. Qvæ autem de herbâ illâ Indicâ (cujus appellatio fugit rei Botanicæ cenſores Accuratiſſimos) ex *Teophraſto* adducuntur, & qvæ ipſi *Plinio* cenſentur prodigioſa, me qvidem judice in illis videntur numeranda, de qvibus Magnus *Conringius de Hermetic. Medic. lib. 1. cap. XI* Eximias planè & vim naturæ excedentes facultates, plantis nonnullis à veteribus asſignatas, ait, cujus notæ etiam autumat νηπενθὲς ſeu ἄχολον illud,

illud, qvod Helena fertur indere vino potuiſſe. Et verò fidem videntur ſuperare & vis herbæ illius Indicæ Theophraſto commemoratæ, & qvæ naſci inde dicitur coitûs freqventia. Si enim ſingulis vicibus ſeminis nonnihil emittatur, non video, qvomodo vel herbæ ſolius ope, tam exiguo temporis ſpatio tanta ſeminis copia poſſit generari, & qvamvis lubens fatear, (ipſo etiam teſte Magno *Rolfincio* in lib. de partibus genitalib.) in veſiculis illis ſeminariis contineri eximiam ſeminis copiam, qvæ iteratis conflictibus veneris qveat ſufficere: at tot vicibus poſſe, ut eſt apud Theophraſtum, ſuppetere, altioris res eſt indaginis, & cenſuræ doctiorum exponenda. Sed dubio procul coitus hic citra emisſionem ſeminis inanis intelligitur: Qvod & ipſum ſuſpectæ videtur fidei. Propero nunc ad antivenerea ſeu reſtingventia ſive venerem ſive ſemen. Qvalia ſunt cùm refrigerantia, tum totâ ſubſtantiâ, hoc eſt, ſui generis ſulphure, ſeu propriò agentia. De illis cum tot authoribus ſint decantata, & ipſo meridie clariora, non addam verbum. De his autem, qvæ totâ hîc temperie agunt, res controverſa magis eſt, & ſopitu difficilior. Qvì nimirum camphora acris ac tenuisſimæ ſubſtantiæ, caloris manifeſti indicis, mentha itidem

dem odorata, agnus caſtus, ruta & alia id gen
& calidiora ſeminis augmentum impediant
aut ipſam veneris flammam reſtingvant. De
ducunt vim eandem Galenici cùm à ſiccitat
tum tenuitate partium: Nos à ſulphure ſui ge
neris ſeu proprio cum Chymicis recentiori
bus: Cum unaqvæqve rerum ſulphure pro
priô conſtet, cui vim deberi antiepilepticam in
pœoniâ, antihyſtericam verò in caſtoreo, di-
ctum à nobis aliàs eſt. Sed de camphorâ & a-
liis antè laudatis ſingulis ſigillatim. De cam
phorâ alii aliter ſentiunt. Alii in dubium
vocant vim ejus antivenereàm; alii originem
ejusdem virtutis aliunde arceſſunt: Alii deni
qve in exaggerandâ excedunt nimium qvan-
tum: Vim camphoræ antivenereàm in du-
bium vocavit *Scaliger Exercit.* CIV. §. 8. *Extin-
gvi* (ait) *venerem, non eſſe verum pro certo babe-
mus. Coivit enim validiſſimè juvenis, qvi ipſam
in manu habuit. Cani leporariæ, qvæ catuliebat,
in potu dedi, in offâ dedi, in nares dedi, qvô refri-
geſceret, idqve qvotidie collo appendi, in naturam
indi juſſum eſt. Fruſtra omnia, coivit, concepit,
peperit.* Hactenus *Scaliger* ſubtiliſſimus, qvem
neutiqvam ſubtilem hîc arbitror fuiſſe, qvod
tanti probationem paradoxi petierit à brutis ad
hominem, cum tamen detur tanta tempera-

menti diverſitas in utrôqve, ut qvod brutis interdum vel in alimentum aut certè medicamentum cedit, homini veneni loco ſit præſentisſimi. Sturnus cicutam, coturnix veratum, ciconia bufones, cervus & pavo vivos ſerpentes dicuntur citra noxam omnem comedere. Homo non item. Experientia verò de juvene nec ipſa facit tanto paradoxo ſatis, cum in manu tantùm tenuerit camphoram. Datur huic opponere tot experientias Magnorum virorum, camphoræ vim ineſſe veneris æſtum reſtingvendi tam certò & indubitatè adſtruentium, ut in tanta nunc luce vel dubium movere ſit relligio. Unde autem illa vis, an à frigore, an à ſiccitate, an verò aliunde, ſub judice lis eſt. Frigiditati videtur eandem tribuere Avicenna, qvando ait. *Camphora ſeminaria vaſa refrigerat, ſemen cogit ac inſpiſſat, & ſic abſcindit coitum.* Hæc ſunt oppidò erronea, ſi intellecta ſimpliciter cupiat Avicenna. Cum calidum (qvalis camphora eſt, uti præter tot ſcriptorum teſtimonia ipſa ſvadet ratio) non per ſe, ſed tantùm ex accidente refrigeret. Hallucinantur itidem, qvi ſiccitatem tantùm accuſant. Qvô nomine jure ſic in Cardanum invehitur Scaliger: *Satis ſi ſciat, inqvit, adeò immodicè ſiccam eſſe camphoram, ut in ſinu virginum juvenes*

reddat ad venerem impotentes. At qvid hoc? ſiccitaté ne id fieri Medicus intelliget? non ſanè. Neqve enim ſemen ipſum ſiccabit illicò vis ejus hauſta per nares. Et paulò pòſt idem: *Qvin etiam ſi verum eſſet, non tamen id, ut dicebamus, eveniret à ſiccitate. Non enim venerem ſiccitas extinguit. Alibi declaratum eſt, ad perfectum coitum tria peti, flatum calorem ſemen. Semen à ſiccitate fortaſſe tollatur, ſed momentô temporis.* Propiùs videntur ad rei ipſius veritatem accedere, qvi ſummam totius rei exiſtimant verſari in tenui oppidò ac inſigniter volatili camphoræ ſubſtantiâ. Nos eam cum chymicis recentioribus deducimus à Sulphure ejus propriô, qvod cùm aperiendo, tum ſingulari qvâdam ratione ſalia illa volatilia imbibendo velut, ac præcipitando inflationem illam veneream conſopiat. Qvæ de camphorâ diximus, ea poſſunt certâ ratione ad mentham, ad agnum caſtum, ad rutam & alia ejusdem generis accommodari, ut qvicqvid officiant veneris conflictui, id omne ſui beneficio Sulphuris præſtent. Qvod probè animadverſum eſt Celeberrimo trium Daniæ Regum Medico D. D. *Simoni Paulli* de abuſu tabaci & herbæ thee: Hinc ille: *Non qvod frigefiant, ſterileſcunt Perſæ, ſed qvod clanculum ſenſimqve exiccentur non à qvalitate paſſivâ aut ſiccitate,*

tate, ſed à Sulphure Cabvvæ ſive bon vel ban ſeminis ipſi proprio, ut opio, ut tabaco, ut agno caſto, ſua propria ſunt ſulphura. Patet igitur ex his, qvâ vi camphora & reliqva calidiora, totâ ſuâ ſubſtantiâ, hoc eſt, Sulphure qvodam pacifico (modò ita liceat appellare) ipſum libidinis æſtum compeſcat. Camphoram verò cave credas, vel ſolô odore, vel geſtatam tantùm eundem edere effectum. Venerem reſtingvit non niſi magnâ doſi, in minore cor potius & reliqvas partes (niſi qvis naturâ adhorreat ab ejus odore) corroborat. In qvo convenire videtur cum croco, cujus doſis & uſus parcior multum roboris addit toti corpori, ſed exceſſus tantùm abeſt ut juvet, ut noceat potiùs immane qvantum. Qvod & ipſum videtur ſenſiſſe Celeberrimus qvondam *Mœbius* de camphor. cap. XXII. Arcana hìc invenienda, vel me tacente, in aprico ſunt. Cum ex recenſitis nonnulla obſint non tam ſuâ qvalitate, qvàm abuſu. Doſis igitur diverſa & ægri, cui adhibentur, diverſa temperies, diverſos pariunt effectus. Hinc fumus Tabaci venerem irritat in aliis (in pituitoſis credo, dum pituitam attenuando ſangvinem ad ſeminis generationem reddit aptiorem) in aliis reſtingvit (nempe in bilioſis) Uſûs tamen varietas & doſeos, etiam hìc attendenda eſt.

eſt. Radices aſparagi (advertente Magno *Rolfincio* loc. paulò antè laudato) venerem dicuntur ſtimulare & ſemen augere in pituitoſis, in bilioſis non item. Hinc lucem accipit *Dioſcorides lib. 2. c. 152.* Sic enim ille de radice aſparagi: περιαπτομένη δὲ καὶ τὸ ἀπόζεμα αὐτῆς πινόμενοι, ποιεῖ ἀτόκιον καὶ ἄγονον. Qvod & de menthâ & aliis pari ratione intelligendum eſt. Cum tanta igitur in his opus ſit cautione, cautior ſit tyro in eorundem uſu. Cauti qvoqve ſint in uſu tabaci helluones, caveantqve, ne præter alia ſanitatis incommoda, continuo uſu, dicam, an abuſu tabaci, ad prælium illud veneris jucundum, & citra qvod mariti placere ſuis uxoribus haut poſſunt, ſe inermes reddant, & prorſus ineptos. Et tantum de venereis & antivenereis.

Artic. VI. Cap. I. Sect. II.

De Expectorantibus.

Expectorantium cum pleni ſint tot Medicorum libri, differentia itidem, (qvod frigida aut temperata, in materiâ tenui; calida verò & tenuis ſubſtantiæ, in viſcidâ ſint trahenda in uſum) in propatulo ſit, placet ſaltem hoc unicum ſubjungere de expectorantibus, qvod

in illorum cenſu ſint, qvæ vi qvoqve diureticâ polleant, (uti aromatica & amariuſcula) & ſic tuſſi inveteratæ, & reliqvis pectoris affectibus proſint mirum in modum. Qvo nomine inprimis celebrantur marrubium, hyſſopus, angelica chœrefolium & alia. Hinc de ſirupo hysſopi hunc in modum Cl. *Hofmannus, uſus eſt*, inqvit, *in affectibus pectoris paululum progreſſis, ubi de Glyzyrr. capill. vener. alii, minùs ſatis ſint operi, qvod molimur. Habet verò hoc peculiare qvod abducit ad vias urinarias.* Et ſic, huic qvoqve capiti manu veluti ultimâ impoſitâ, rectà pergimus ad ſeqvens.

CAP. II. SECTION. POSTER.

De Pathologico-Practicis miſcellaneis curioſis, ex inventis recentiorum natis.

Artic. I. Qvænam arcana ex inventis Harvejanis?

SAngvinis circulatio poſtliminiò velut in lucem ab *Havejo* revocata (qvamvis veteribus qvoqve, & ipſi inprimis *Hippocrati* eandem innotuiſſe, mihi perſvadeam omnino) qvantum lucis & utilitatis afferat artem Medicam facienti, vel lippis eſt & tonſoribus notum.

tum. Non dicam de utilitate inſigni Chirurgicâ, in venæſectionis negotio ritè adminiſtrando. Ubi nunc non æqvè,ac olim,venarum delectus eſt tantus, & cum periculo habendus interdum: Si in brachio E. g. ſecanda ſit vena, perinde eſt, utra incidatur, cum ab eodem ramo ſurculi illi deriventur omnes. Non dicam, qvod in tantâ circulationis & anatomes luce, vel religio ſit dubitare de operâ, qvam in debilioribus venæſectioni ſcarificatio præſtat vicaria. Cum ex motu id pateat circulari; Prætereibo hìc tacitus chirurgiam, qvam vocant, infuſoriam, (de cujus inventionis laude & laureâ, certent inter ſe Magni viri) cujus beneficio & magna præſtita ſunt ipſis inventoribus; & olim, ſi inventionis ſubtilitati annorum ſubſcribet vetuſtas, in partem qvoqve accedente experientiâ, lux non exigua praxi Medicæ affulgebit. Attingam hìc ſaltem nonnulla nota qvidem & ipſa, ſed expenſa rectiùs pro ſcopo conſiderationis vario, tyronibus tantùm non arcana. Cauſam & curationem Epilepſiæ fuſiùs exeqvi, neqve loci hujus, neqve inſtituti eſt. Interim poſſe maligni qvicqvam in extremis corporis partibus latitare, unde fomes hujus mali haut rarò alatur, qvamvis etiam veteribus innotuerit fortean; ex inventis tamen

Harvejanis & demonſtratu facilius eſt, & curatio qvoqve in hoc vel in illo, horum intuitu, facilior; imò ipſa antiepileptica aliàs notiſſima arcani poſſunt vicem induere. Andiamus hâc de re ſcitè non minus qvàm verè Philoſophantem *Martinum Scootkium*, rerum naturalium Conſultisſimum, lib. de fermentat. C. XXIX. *Cum verò*, inqvit, *hoc ſeculo ſangvinis circulatio diſtinctiùs ſit explicata, qvàm omnibus ſuperioribus, veriſimile admodum eſt, malignum ſpiritum in aliqvâ corporis parte deliteſcentem, ſangvini per illam refluo, maligni aliqvid affundere poſſe. Atqve ſedes maligni hujus ſpiritûs ſtatuenda videtur illud membrum, è qvo vapor malignus ſangvini permixtus, per qvandam qvaſi ebullitionem ſe primitus ſublevare animadvertitur.* Et paulò pòſt idem; *Sæpe verò deprehenditur ab extremis pedis articulis vapor hic ſeſe promovere.* In Extremis verò pedum articulis, poſſe mali Epileptici fomitem ſuſtineri, ratio & ipſa eſt ex motu ſangvinis circulari perſpicua; cum ad extremitates digitorum confluxus multorum ſit nervorum, venularum & arteriolarum, cumqve fuliginibus, aliisq; excrementis, non æqvè ob ungvem, pateat tranſpiratio, facilè ibi colligitur ſaburra aliqva, qvæ progreſſu temporis non acrimoniam modò, ſed & nonnihil maligni

ligni & ſui generis venenati qveat adſciſcere. Qvæ, ſi communicetur ſangvini, pro húmoris vitio diverſo, diverſa naſcuntur ſymptomata. (de qvibus etiam paulô infra) In hoc qvidem affectu omnium nervorum convulſio oritur à ſpiritibus ſingulari acrimoniâ & malignâ præditis. Qvæ qvidem confirmantur omnia ſingulari Incomparabilis *Thomæ Bartholini* obſervatione. Ita Cent. VI. Hiſtor. 78. *Scriba, ait, Holſatus 25. annorum, convulſionibus Epilepticis Hafniæ 1659. conciditur, ex pede ſiniſtro elatis vaporibus, qvod obſervârunt qvoqve Galenus lib. 3. loc. Affect. c. 7. & Fernel. lib. 4. obſervat. cap. 2. Huic ſcribæ ante inſultum pes ſtupet, mox aſcendentem ad genua vaporem ſentit, qvô, relictis genubus, altius aſcendente, ſtatim convulſus concidit, cum copioſâ circa os ſpumâ.* Ex hoc fonte Epilepſiæ in nonnullis medendi ratio, accuratior nata eſt Medicis Cordatioribus. Cum enim cauſa hujus mali in pedum partibus extremis deprehendatur ſæpius, arcani inſtar eſt in tali caſu, fonticulus partibus vicinis appoſitus. Annus agitur, nî fallor, decimus & qvintus, cum agerem Hannoveræ, & convictu uterer Viri Clarisſimi *Juſti Mölleri* Rectoris, de Scholâ Hannoveranâ & de me qvoqve ſingulariter promeriti: jam tum famulus ipſius qvindecim

 cir-

circiter annorum, Epilepſiâ corripiebatur ſubitaneâ. Vocatus *Conrdingius*, Medicus jam tum & Archiater Hannoveranus oppidò Inſignis, & cauſam mali percontatus accuratius, ægri qvoqve ipſius qverelâ, de vaporis frigidi ante paroxyſmum elevatione, in partem cognitionis adſcitâ, cum mali fomitem in pede haut vanè augurareretur delitefcere, fonticulum circa talum curavit inurendum, tam felici cum ſucceſſu, ut ex hoc tempore, qvo, mihi qvidem, usqve ibidem licuerit commorari, nullus ad paroxyſmum reditus fuerit obſervatus. Huc videtur facere, qvæ apud *Borellum* centur. 2. obſervat. 95. *Alia Epilepſia* (inqvit) *eſt, qvæ pollicis inuſtione à cauterio actuali curatur, à pollicibus autem pedum & manuum incipit, inqve illis qvaſi ebullitionem qvandam producit, qvia facilè aura venenata ad caput aſcendens, meningesqve feriens, tandem ægros proſternit.* Et certè in propatulo eſt, in pedum ac manuum partibus extremis non hujus tantùm affectûs, ſed & aliorum cauſam hærere interdum. Qvâ cognitâ rectius, medicamentum vulgare aliàs & penſi nullius, incantamenti inſtar, cernis prodeſſe. Ophthalmiæ periculoſæ in juvene qvodam (qvam ſedem ſuam fixiſſe in pedum partibus extremis, eventus docuit curationis) meminit

Cele-

Celeberrimus trium Regum Medicus *Simon Paulli* in digreſs. ſuâ dc febribus malignis; Integram hiſtoriam ad modò laudati authoris ductum hîc paucis lubet enarrare. Juvenis qvidam Danus, & ex longinqvis peregrinationibus redux Hafniam factus, ob diætæ mutationem, in ophthalmiam incidit graviſſimam, bulbis oculorum prominulis, & palbebris inverſis, ut nec lucem nec aërem nec ventum ullum perferret. Operâ Medicâ pariter ac Chirurgicâ, ſedulò huic malo, ſed fruſtra impensâ, rem aliâ aggrediendam viâ ratus Dn. D. *Paulli*, de diætâ aliisqve ad ſciendum neceſſariis inqviſivit penitiùs. Sed cum probus ac caſtus juvenis, in diætâ apertè ac ingenuè exponendâ, omnem qvoqve veneris illicitæ ſuſpicionem amoliretur, inter alia de æſtu pedum inſigni, ac inveterato conqverens, & addens inſuper, peditem ſe qvondam, magnâ celeritate Paviô contendiſſe Hamburgum, qvinq; ſpatio ſeptimanarum; non immerito colligebat Celeberrimus *Paulli*, pedum intemperiem in cauſa fuiſſe, ut ſangvis calidior iſtam ἐκχύμωσιν foveret. Qvocirca præmiſſis univerſalibus, Emplaſtro Imperiali ſoceri ſui *Jacobi Fabricii* Medici qvondam Incomparabilis, (additô tamen nitro cum gummi carannâ) qvinqve vel

ſex

ſex dierum ſpatio, Propitio Numine Divino, hunc ægrum ab hoc affectu moleſtisſimo liberavit. Ipſe qvondam in viro ætatis admodum decrepitæ, tantâ oculorum fluxione laborante, ut cæco videretur ſimilior, præter alia remediorum genera, ut veſicantia, ophthalmica evacunantia &c. non neglexi uſum eorum, qvæ pedibus ſolent applicari, & mirificum expertus ſum fructum. Cordis qvoqve palpitationis, in his partibus extremis, fomitem poſſe reſidere, argumento eſt, qvod ex manuum ac pedum refrigeratione ſubitaneâ (uti experimento non uno edoctus ſum) cordis palpitatio aut oborta fuerit, aut certè adaucta: Imò ipſum animi deliqvium, cujus indicina eſt Celeberrimi qvondam *Marqvardi Slegilii* in comment. de ſangvinis motu cap. XI. obſervatio curioſa. *Accidit*, inqvit, *dum hæc relego, famulum aliqvem ſub dio occupatum in everrendâ glacie. ferreo inſtrumento utentem ſubitò animo deficere, & in terram cadere, tactu frigidisſimi ferri, manu intensè refrigeratâ, & frigore ex manu ad cor transmiſſô, qvi in lectum protractus & calido juſculo cibatus reficiebatur. Non ergo dubium eſſe debet, qvin modo propoſito ſangvis in extremis partibus communem circulum imitetur, idqve finis maximi & planè neceſſarii gratiâ, nec motum illum*

lum ullo tempore mutari aut ceſſare citra damnum animalis. Hactenus Slegelius. Neqve nos fugit ratio ſangvinis circulationem attendentes: Qvippe cum circa manus ac pedes, ob venarum & arteriarum anaſtomoſes numeroſas (uti paulò antè innuimus) ocyus alteretur ſangvis; fit, ut alteratus ille, prout motu variè peccaverit, varia qvoqve excitet ſymptomata. Ad cerebrum delatus, capitis dolorem; ad fauces raucedinem, ad pulmones catarrhum: Qvid? qvod refrigeratione ſubitanea poris occluſis, retentisqve in corpore effluviis calidioribus, iisdemqve circulationis beneficio ad cor remeantibus, fermentatio velut humorum præternaturalis oriatur: Et modò hæmorrhagia, modò catarrhus, modò diarrhœa, modò palpitatio cordis (in hypochondriacis qvidem & ſcorbuticis, in qvibus habitum velut qvendam, aut ſui generis malignitatem acqviſiverunt humores pravi) modò ructus, ſi ad ventriculum; aut alia ſanitatis incommoda. In ſexu etiam ſeqviore hìc ſuppetunt, qvæ ad rhombum noſtrum. Non dicam, qvod ex ſangvinis circulatione commodius poſſit explicari, qvænam ex menſibus ſuppresſis, ſanitatis incommoda muliercutis, modò hydrops, modò ophthalmia, modò reſpiratio difficilior, modò tinnitus au-

rium,

rium, dolores dentiũ, ſuffocatio, furor, & id genus ſimilia obveniant, qvin imò, qvod menſium fluxu prohibito aut retardato, ſangvis ſingulis menſibus aut vomitu, aut ex auribus, ex oculis, aut (qvod rarisſimum eſt) ex poris capitis largius excernatur. Memini enim didiciſſe me qvondam Lugduni Batavorum cum ſingulari admiratione, præſente Magno *Sylvio* & multis commilitonibus Honoratisſimis, fæmellæ cuidam conſvetô menſium fluxu impedito, ſingulis menſibus ex poris capitis ſangvinem copioſiùs emanaſſe. Sed ſtudio hæc præterimus, ſi enim omnia hìc animadvertenda, vellemus penſitare, actum ageremus, foretqve adeò crambe, ut eſt in proverbio, bis cocta. Cùm tot authoribus tota ſit pathologia in primis Excellentisſimo *Rolfincio* ad motum ſangvinis circularem dudum accommodata. Hoc obiter tantùm & veluti παρέργως, qvod malè ſibi conſulat & ſuæ valetudini ſexus ſeqvior, dum nudis pedibus ſolum attingat crebrius, unde nonnullis & ſterilitas olim, & menſium ſuppresſio ſat valida poteſt enaſci. Cumqve rectè monentibus aures ſuas teneant clauſas, à more pravo neutiqvam deflectentes; non mirum eſt, ſi tot mala cernantur in mulierculis, tot tantiqve affectus haut raró, qvi artis & medentium operam

omnem

omnem eludant. Qvod publicè olim audivimus *Sylvium* Incomparabilem Lugduni Batavorum ſedulò inculcantem, cum publicè in hiſtoriam morborum muliebrium pro more ſuo, hoc eſt, perdoctè commentaretur: Pro re igitur natâ, ſexui ſeqviori inciſio venarum in pede maximopere commendanda, non in menſium tantum obſtructione, qvod etiam vulgo tam notum qvàm qvod notiſſimum eſt: ſed & in aliis affectibus, in capitis, aurium aut dentium dolore, in febribus, & in aliis, tametſi menſium fluxus ritè & accuratè ſuam obſervet periodum. Qvippe cum ob multas venarum & arteriarum anaſtomoſes, in pedum extremitatibus facilè poſſit ſangvinis circulatio impediri, qvin ocyus ibi qvoqve alteretur ſangvis, cùm ad ventilandum tum corrigendum admodum proficua eſt ac conveniens venæ-ſectio in pede: Sunt, qvi eandem maximè tanqvam arcanam commendant in ipſo proxyſmo hyſterico, uti diſcere eſt ex obſervationibus *Philippi Hoechſteteri*, qvi varias aſſerit ſe curaſſe ſolâ venæ ſectione in pede. Extra paroxyſmum nemo non de praxi Medicâ verè & rectius ſentientium, facilè conceſſerit, utrâqve, qvod dicitur, manu; in ipſo autem paroxyſmo an ſit ſalutaris, adhuc ſub judice lis eſt. Si in affectu

hyſte-

hyſterico explicando veſtigiis inſiſtamus recentiorum, tam in paroxyſmo qvàm extra paroxyſmum, utramqve faciunt paginam clyſteres, venæſectioni multis ſanè paraſangis præferendi. De qvibus poſtea in explicatione Sylvianorum uberius. A fonte chirurgico ſi pergamus ad pharmaceuticum, conſtat pari ratione, qvi fructus, qvæ commoda, ex uſu legitimo medicamentorum, qvæ aut carpis manuum aut pedibus ſolent applicari, contrà, qvæ ex uſu illegitimo incommoda, in ſexu utroqve poſſint expectari. Proſunt ſingulariter non in capitis tantùm affectibus, ſed & febribus malignis cùm ad ἀγρυπνίαν arcendam, tùm morbi ipſius vehementiam mitigandam raſura raphani, vel matricariæ, aut abſinthium tam vulgare qvàm Romanum cum ſale & aceto; Aut muriâ condita halex diſciſſa, plantis pedum ſuppoſita. Cùm ut horum beneficio poris apertis exitus detur excrementis, qvæ colligi ibi conſveverunt, liberior; tum ut ipſe corrigatur ſangvis. Pro re igitur natâ errant graviſſimè, qvi aut frigida ſive actu ſive potentiâ, aut viſcidiora qvoad uſum exteriorem, in febribus malignis commendant; cum utraqve noceant ægrotanti: Hæc qvidem poros viſciditate ſuâ occludendo, illa vapores malignos vi

frigo-

frigoris ad interiora repellendo. Qvô commodo igitur, qvô fructu ſanitatis hîc, tincarum qvæ pedibus jubentur applicari, uſus, qvæ & viſcidâ & glutinosâ ſuâ ſubſtantia, poris opertis nimiûm, excrementis copioſius ibi collectis, tranſpirationem adimunt liberiorem, tantopepere qveat deprædicari, non video? Utatur, qvicunqve volet. Mihi non faciunt ſatis illarum præcones, qvi non veris ſuffulti experientiis, vulgi potius trahuntur, qvàm rectius ſentientium judiciô. Sed de fermento, cujus uſus qvoqve hic ſolet celebrari, qvid ſentiendum ſit, itidem opus eſt indagatu. Qvod, cùm incidendi, penetrandi adeoqvè poros aperiendi vis videatur ineſſe, in capitis qvidem, oculorum, dentium, aliisqve notæ ejusdem affectibus civitate Medicâ poteſt donari: At in peſtè aut febribus malignis, me qvidem judice, exulet potius ejusdem uſus, niſi temere ipſi Acheronti ægrum velis committere. Sed ante qvam receptui canam, obiter & tantùm verbô, an dicta illa, qvæ pedibus ſolent applicari, vi qvâdam attrahendi à cerebro immediatè revellant acriores illos ſive humores ſive vapores, unde vigiliæ diuturnæ, dolor capitis exqviſitior, delirium, & alia id genus, in qvibus uſus eorundem tantopere eſt commendabilis? Ita vulgus

fortan ſentit, ſed ſiniſterius. Non enim aliâ proſunt ratione, qvàm qvod rarefaciendo poros, tranſitum excrementis liberiorem permittant, foraſq; qvicqvid datur halituum ſive vaporum, eliciant, &c. non proximè qvidem, ſed mediatê tamen revellant: Niſi enim exitus daretur his excrementis, mediante circulatione per venas ad cor remearent, à corde ad totum corpus: Adeoq; ipſi communicarentur cerebro, & ſic ad morbi vim, & ſymptomatum, ipſa qvoq; fieret acceſſio. Uti patet in alvi adſtrictione diuturniore: qvod cùm ad cerebrum tum ad ventriculum elati illi vapores pravi hinc ructum excitent aut ſingultum; aut alia ventriculi incommoda: illinc capitis gravitatem vel dolorem ſive intenſum, ſive pungitivum, pro vaporum aut halituum diverſitate. Qvò vis igitur his attrahendi ineſt fortior, eò hic commendari merentur magis: Hinc conveniunt cùm aëria, ac ſale volatili prægnantia, tum ſalſa ac amara: Qvibus non poros tantùm aperiendi, ſed vis etiam abſtergendi & exſiccandi ineſt ſingularis. Qvamobrem haut ſcio, qvô jure qvôve privilegio gaudeat potentilla, cujus qvoq; uſus exterior hic punctum meruit etiam Medicorum Celebrium, qvamvis (teſte Cl. *Hofmanno*

lib. 2.

lib. 2. Officinal. cap. CLXXXIV.) frigida ſit in ſecundo gradu, & ſicca in tertio, cum valida adſtrictione. Hujusmodi autem qvantum repellendo obeſſe febribus malignis qveant, vel pueri nôrunt Medicorum. Perbellè de potentilla Cl. *Hofmannus* l. c. *Neſcio ſanè*; inqvit, *qvæ ſit omnipotentia illa*, *à qva nomen accepit*. Sed ero in ejusdem præcones mitior aliqvantò, non niſi cum aceto & Sale mixtam pedibus ſubdunt potentillam, qvibus adſtringendi vis ac repellendi mitigatur. Sed qvid opus eſt veſci glandibus, frugum cum ſuppetat copia. Cave autem cogites, Frigidorum uſum exteriorem hic omnem interdici: Cum aqvæ frigidioris aſperſio in animi deliqvio; immerſio in frigidam in hydrophobiâ: Manuum item ac Pedum aqvæ immisſio frigidiori, in fluxu ſangvinis nimiô; ſummis in ſcholâ Medicâ laudibus efferantur. Qvamvis hic, uti in omnibns, & cautio ſit adhibenda; & ægri conſtitutio varia rectiûs advertenda. Neq; etiam amplius obſcura ratio poteſt eſſe ex motu ſangvinis circulari, ſi vel plumbum aut argentum aut hæmatites, aut alia id genus frigidiora, in manu tantùm retenta laborantium, tantum in ſangvine cohibendo exerant effectum. Inprimis circulationis legibus con-

formis videtur eſſe inunctio verticis, (cujus explicationem accuratiorem & inventionem debemus Excellentisſimo Domino D. *Majori* in delit. ſuis hybern. invent. 3. §. 10.) non ad capitis tantùm (qvod & vulgo perſvaſum eſt) ſed ad alios etiam affectus: Cum qvod pororum ibi detur multitudo, tum effluviis qvoq; illis, ex oleis inunctis exhalantibus, ad cor iter ſatis commodum: Qvocirca tale qvippiam inungatur, qvod & aromaticum ſit, & ſubſtantiæ tenuioris, lateq; vaporem de ſe ſpargens. Qva de re audiamus ipſum authorem l. c. loqventem. *Modò tale qvippiam,* (ait) *aſſumatur, qvod vaporem Medicum de ſe latè ſpargat, abſorbendum à ſpiraculis cutis, indeq; per venas capillares cranii, venæ jugularis externæ propagines rectà deorſum ad ramos venæ cavæ ſubclavios, proximeq; in truncum ejus & cor perferendum.* De qvâ qvidem inunctione verticali cum prolixior ſit antè laudatus Dn. D. *Major*; redeo nunc ad ea, qvæ aut manibus aut pedibus ſolent applicari. Qvorum uſus dexterior uti prodeſt inſigniter; ſic nocet, immane qvantum, abuſus, matribus familias haut raro familiarior: Qvæ ſolent infantum ſuorum, ſive manus ſive pedes ſcabie prægnantes, undiqvaq; ungvento qvopiam refrigerante, ſive cerusſâ, ſive notæ ejus-

ejusdem aliò, inungere, nihil ſubeſſe periculi, ratæ, qvod manus tantum fuerint inunctæ ac pedes, reliqvis corporis partibus neglectis. Cum tamen major ſit periculi metus ex pedum inunctione ac manuum, qvàm aliarum partium. Biennium ipſum eſt, cum vocaret ad viri primarii filiolum, menſes vix ſeptem natum & epilepſiâ correptum. Cauſam percontaturus penitiùs, ipſe qvæſivi, an ſcabies prævia fortean ad interiora eſſet repulſa, ſive ſponte ſive importunâ refrigeratione. Sed cœpit mater jam tum infantem ſuum beatum prædicare, qvod ne veſtigium qvidem apperuerit in toto corpore præter primitias qvasdam in plantis pedum, (ſic enim appellabat molliore vocabulo ſalutis cardinem filioli in eo qværens) qvas, ceruſsâ tantùm inunctâ, facili negotio aſſerebat evanuiſſe. Ad qvod ipſe, ô optima, res in loco foret meliore, ſi ſcabie nunc infans tuus eſſet undiqvaqve repletus. Uſus ceruſſæ infauſtus fuit ac ſiniſterior, ad cor infantis inſigni cum detrimento repulsâ acriore, qvæ in pedibus hærebat, materiâ. Hinc illæ lachrymæ! hinc fomes mali! Qvamobrem & antiepilepticis & expulſivis ritè & ſedulò adhibitis, Numinis Divini gratiâ, reddidi infantem illum priſtino ſanitatis vigori: Qvem ante ſe-

meſtre circiter eôdem malô correptum fati ſuſtulit iniqvitas. Pedum qvoqve oritur fætor, qvô ſcatent nonnulli, effluviis illis, in pedibus collectis copioſius prohibitis, ſi ocreis aut calceis non detractis dormierint peregrinantes. Qvibusdam etiam citra hoc fætor hujusmodi, prout multis abundant humoribus. Qvibus author ſum, ut ad ſordes illas detergendas, freqventius utantur pedilavio ex decocto emollientium parato: Præmiſſis, ut vocant, præmittendis; qvod fuſius alibi à morborum artificibus ſolet doceri. Pro re igitur natâ nec hoc obſcurum eſt, cur in morbis malignis tam ſedulò præcaveant Medici cordatiores, ne pedes ægri aut exſerant è lecto, aut ullô modô nudent; cum ad partium extremitates ſordes ſuas, adeoqvè halitus peſtiferos largius natura deponat. Qvocircà etiam cautelæ loco ſit tyronibus, ne in peſte aut in morbis malignis juſtò liberalius tangant carpum laborantium, ne aut peſtem ſibi, aut mortem ipſam accelerent. Qvod mâlô ſuô qvondam edocebatur tempore peſtis Brunſvicenſis (cum ipſe agerem Helmſtadii) Vir arte Medicâ omnisqve eruditionis genere Clariſſimus *Hieronymus Jordanus* qvi famuli alicujus peſte laborantis carpum aliqvantò liberalius tangens paulò poſt & ipſe lu[e]

extin-

extinctus eâdem eſt. Poteſt qvoqve ex circulatione ſangvinis, lucis nonnihil mutuari dentium doloris cognitio pariter ac curatio. Cum enim ad dentium radices vaſorum detur confluxus; per hæc qvoqve vaſa non mirum eſt, naturam eò propellere humores in corpore redundantes, qvi morâ diuturniore facti acriores ac veluti fermenteſcentes, & maligni induunt nonnihil, & miſerè torqvent partes membranoſas, unde jam tum dolor dentium exqviſitisſimus. Qvò facit locus apud Highmorum Inſignis (teſte *Martino Scootkio* de fermentatione cap. XXX.) ita enim ille in anacephalæoſi circulationis ſanguinis, *in his vaſis*, (ait) *humores acres unà cum ſanguine ad dentes perveniunt; qvibus illorum membranula exqviſitè ſentiens, interiorem eorum medullam ſuccingens, eroditur & vellicatur; unde dolores illi dentium exqviſitiſſimi ortum petunt. Et ab hac arteriarum dentes petentium origine, adſtringentia pone vel ſub aures, meliore cum ſucceſſu in dentium dolore applicari, qvàm ad tempora, facilè ſuaderi poteſt.* Solent in aliis etiam partibus, ubi aut vaſorum eſt, aut ductuum exilium concurſus, aliorum cauſæ morborum potisſimûm reſidere: Hinc pancreas, hinc vaſa lactea, lymphatica, & alia tot morborum creduntur cauſas fovere. Sed den-

tium doloris cognitio & ipſa poſtea ex ductibus Warthonianis ac Stenonianis fiet clarior. Nunc tantùm de arcanis in praxi Medicâ hîc cognoſcendis. Vulgus commendat veſicatorium pone aures. Et rectè id qvidem, cum ratio pateat non ex ſanguinis tantùm circulatione, ſed etiam ex inventis vaſorum lymphaticorum; cum lympha illa acrior extrahatur prius mediante veſicatoriô, qvàm per lymphatica aut venas ad cor revehatur. Cui fini non pone aures tantùm, ſed & alibi appoſita veſicatoria inſignem merentur commendationem; nec non lucem accipit ſat celebre, & tot exploratum caſibus, qvod inter empirica circumfertur, in dentium dolore remedium: Si raphanus ruſticanus venis cubiti lateris affecti imponatur; donec & ruborem excitet & dolorem, imò partes ipſas exulceret: Cujus mentionem qvoqve facit ipſe Medicorum Phœnix Thomas *Bartholinus* (in additam. ad Medic. Danor. domeſtic.) *Dolori dentium* (ait) *remedium qværit Nobilis fœmina ex raphano ruſticano contuſo venis cubiti lateris affecti appoſito.* Rationem non eſt, cur addamus hic, cum & apparere posſit ex antea dictis, & infrà de uſu cauteriorum ex pathologiâ lymphaticâ nato, dicendis. Ex ipſo etiam fonte circulationis

pro-

profluit vulgo qvidem nota, ſed non niſi arcani locô tyronibus commendanda pone aures, aut aliis in locis, ſive ſcarificatio, ſive inciſio venæ, ad dentium dolorem ſi non tollendum, at mitigandum certè. Uſum in dolore dentium venæ ſectionis, ipſa criſis arguit interdum, cujus illuſtre occurrit exemplum apud Martinum *Schoockium* l. c. Sic enim ille, *inter proavi*, (inqvit) *obſervationes pertinentes ad annum* 1568. *hanc annotavi*: *Inter Nobiles Illuſtris Comitis Liceſtriæ erat qvidam, cui dentium dolor ad plures dies ita incommodus fuit, ut cuſtodiri debuerit, ne pugione, qvem ſæpe pectori admovere cupiebat, ſeipſum transfoderet. Omnis generis remedia adhibita fuerunt. Sed fruſtra. At poſtea obortâ hæmorrhagiâ largâ, & recluſis hæmorrhoidibus, qvarum Fluxum ſæpe ſalutarem expertus fuerat, dolor ceſſavit.* Sternunatoriis qvoqve mitioribus hic locum eſſe interdum, non ſangvinis tantùm circulatio, ſed & inventa (de qvibus etiam poſtea) arguunt Stenoniana. Et tantum pro inſtituti noſtri brevitate de inventis Harvejanis, & arcanis inde comparandis.

Artic. II. Cap. II. Sect. II.

Tradit, qvænam arcana ex inventis Bartholinianis, ex ductibus item Warthonianis ac Stenonianis.

MAgno ac Incomparabili viro *Thomæ Bartholino*, Medicorum facilè Principi multa debet ars Medica, & præclara admodum, & æternitatis encomiô digna, qvibus anatomen, & totam adeò artem Medicam, ceu luce novâ, radiisq; ſplendidioribus voluit colluſtrare. Cumq; ceſſet nunqvam tanti viri labor & induſtria in interioribus naturæ juxtà ac rerum Medicarum receſſibus, & novis ſubinde inveniendis, qvæ nec nobis invidebit, nec eruditæ poſteritati, & candor hujus viri, & boni amor publici; magno ſuo merito ipſum non admirabitur ſolum & ſuſpiciet totus orbis literatus: Sed & certamen erit inter poſteros de laudibus meritorum ſempiternis, & Famâ Nominis immortali. Huic uni debetur vaſorum inventio lymphaticorum, tot Inſignium virorum calculo ſtabilita. De qvibus non eſt, ut altius hic & â capite, qvod ajunt, ab calcem repetamus dubia jam tum ab Anatomicis agitata: Cum ab ipſo inventore Magno & revocata ſub incudem, &

pere-

peregregiè fuerint ſoluta. (in defens. vaſ. lymphat. contra Riolanum, nec non in ſpicileg. & 2. vaſorum iymphatic.) adeoq; in tanta nunc luce omnium conſtituta lymphatica, ut vel dubium de illis religio ſit movere. Obiter igitur ſumus & tantùm verbô guſtaturi, qvænam arcana practica qveant redundare ex pathologiâ lymphaticâ; qvam, utinam non invidiſſet nobis Vulcani ipſius injuria, qvæ Magni illius *Bartholini*, cùm de morbis lymphaticis meditata præclarè, aliaq; manuſcripta ejus aurea ſanè, & Cedro maximè digna, tum bibliothecam Incomparabilem miſerè perdidit cum rei Medicæ adeoqve literariæ totius ingenti jacturâ. Deus Opt. Max. omni bonorum ac benedictionis genere Magnum illum virum beet largisſime & incolumem ſervet toti literarum orbi, & qvàm diutisſimè Florentem. Sed ad rem. Lympha illa Bartholiniana facem præfert multorum cauſis morborum accuratius indagandis: Ex qvorum cenſu ampliore unum item & alterum placet libare. Hydropis cùm ortus tum curatio, qvamvis & ipſis veteribus innotuerit, ex vaſis tamen lymphaticis (Magno qvoqve eorum inventore id aſſerente) multum lucis, & cognitioni ejus accedit, & curationi: Qvod

cùm

cùm à lympha extravaſatâ, & juſtò effluente copioſius, tum à vaſis lymphaticis obſtructis cauſam liceat commodius derivare. Oritur enim ex ductu recentiorum, leuco phlegmatia; ſi obſtructis vaſis lymphaticis ad partes regrediatur lympha: Aſcites verò, qvando his vaſis obſtructis ſtagnans illa lympha & acrior facta, erodit vaſa illa tenella, qvibus eroſis, aqva copioſius effluens in abdomen, ingentem excitat tumorem. Qvibus poſitis, in proclivi eſt rationem nunc reddere accuratiorem, cur in diſpoſitis tam ſubitaneum, in corpore prius calefacto, diluvium qveat ciere vel unicus hauſtus frigidior, (qvalia exempla non poſſunt non occurrere artem ipſam facienti) aut refrigeratio ſubitanea nimiam excipiens calefactionem: uti inter alia docet hiſtoria Friderici *Barbaroſſæ*, qvem calefactum nimis, cum refrigerandi ſe & ſudoris, qvô corpus erat undiqve perfuſum, abluendi gratiâ, aqvæ ſe immiſiſſet frigidiori, hydrope ferunt fuiſſe ſubitò correptum. Ratio utriusq; patet, qvod nimiâ calefactione pituita craſſior hinc inde, in corpore diſſoluta & vi frigoris veluti congelata, obſtructionem pariat in vaſis lymphaticis, qvibus obſtructis, ſtagnans illa lympha & acrior fit, & vaſa erodit tenella, qvibus

eroſis,

eroſis, ſubſeqvi ſolet & aqvæ effluxus largior in abdomen, & tumor inde natus ſat ingens. Neq; verò non ipſa curatio hydropis qvamvis cum veterum curatione hic conveniat; horum tamen intuitu vaſorum longè redditur Illuſtrior. Hinc diuretica æqvè ac ſudorifera, ipſis qvidem veteribus in hydrope uſitata, nunc majore cum luce videntur, & tanqvam arcana ſvadenda, longeqve anteferenda purgantibus. Qvæ qvamvis nec ipſa tali in caſu ſint negligenda: ipſa tamen inventio lymphaticorum & cautiores nos in uſu eorundem jubet eſſe & pauciores, cum per urinam & & ſudorem commodius evacuetur lympha, has vias nobis in declinatione morborum monſtrante naturâ, qvam medentibus fas omnino eſt imitari. Multa igitur cùm ſudorifera tum diuretica, in curatione hydropis haut familiaria veteribus, in uſu ſunt & in pretio recentioribus; qvalia ſunt ſal volatile urinæ, C. C. Armoniac: volatile Sylvianum, ſpiritus ſalis dulc. ſal. ſtipitum fabarum, Petroſelini, & notæ ejusdem alia plantarum ſalia, ad legem & methodum Vulcani ritè concinnata. Qvod ante biennium experiri mihi licuit in Nobilisſimâ qvâdam Virgine, cui ex diætæ errore, in magnam molem venter excreverat,

ſignis

ſignis manifeſtis apparentibus ipſius hydropis. Varia præſcripſeram medicamina, cùm aperientia, tum purgantia, non neglectis etiam externis, ſed fruſtra omnia, votQ minus reſpondente eventu. Tantum enim aberat, ut remitteret, potius in dies augeretur ille tumor. Qvocirca cum & moram pateretur, & incrementa qvotidie caperet hic morbus; alius in viciniâ vocatus eſt Medicus, me qvidem inſcio. (dudum enim putâram, cum nihil reſciſcerem, ipſam eſſe reſtitutam) cujus curationi cum ſeptem integras ſeptimanas fuiſſet ſubjecta, ad vim mali & ſymptomatum tanta facta eſt acceſſio, ut ipſe revocatus cumſtupore & admiratione ægram intuerer. Aliâ igitur viâ rem aggrediendam ratus, Propitio Divino Numine vel ſolo uſu ſalis volatilis Sylviani & ſpiritus ſalis dulcis, per intervalla tantum pilulis antiſcorbuticis *Timæi von Güldeuklee* leniter evaantibus in partem curationis adſcitis, feliciter eam reſtitui adhuc ſuperſtitem, & vegetam ſatis. Atqvi verò horum intuitu vaſorum fit ſæpius, ut vel ea, qvæ doctioribus qvondam ceu Empirica ſordebant fortean, nunc in civitate Medicâ inſignem mereantur applauſum à Dogmaticis, & in ipsâ Practicorum orcheſtrâ ſedentibus. Luculento inter alia in

hac

hac ipſâ hydropis curatione, exemplo nobis ſunt raphanus ruſticanus & braſſica rubra capitata. Hujus qvidem effectus planè inſignis adumbratus veluti eſt in capite ſuperiore. Illius verò in tot ægris mihi eſt exploratus, qvi vel ſolô uſu raphani ruſticani volatiliore ſuâ ſubſtantiâ lympham illam copioſius ad ductus urinarios abripientis, priſtinam recuperârunt ſanitatem. Imò verò ex his lymphaticis, ſi ad jugularia pergamus, ad ductus item Warthonianos & Stenonianos; multorum & Magnorum morborum cùm cognitionem accuratiorem, tum curationem qvoqve faciliorem licet polliceri, qvod cùm tot rami ac propagines vaſorum lymphaticorum, ibi concurrentium, tum ipſa in ſertio (inſeruntur enim hæc lymphatica jugularia venæ jugulari externæ ſive axillaris concurſui; qvæ verò infra ſeptum medium, lympham effundunt in chyli receptaculum) videntur arguere. Præeunte nobis Celeberrimo olim Anatomico, nunc Regio Hiſtoriographo *Jacobo Henrico Paulli* in anatom. anatom. Bilſian. cap. VIII. §. 2. Ad cujus ductum deducere à modò laudatis jugularibus nec non Warthonianis ac Stenonianis licet φθίσιν, catarrhum, difficilem reſpirationem; tuſſim, pleuritidem, dentium dolorem, eroſionem,

ſionem, caſum, & id genus ad alia. Catarrhi generationem, & reliqvorum, qvæ naſci inde poſſunt, ſymptomatum ingenioſè explicavit modò laudatus *Paulli* ad hunc modum: Poſſe ſcilicet catarrhorum materiam maximè per hos lymphæ ductus deſcendere, qvæ in venâ jugulari & axillari ſangvini permiſta & circulationis beneficio ad dextrum cordis ventriculum per aſcendentem cavam, inde ad pulmones translata, cum pro alimento apponi neqveat, & copioſior, qvàm qvod ſatis eſt, affluxerit, multorum fit morborum in thorace fomentum: Prout variè, vel motu, vel qvalitate, peccaverit hæc lympha; Hinc qvidem, ſi aut acrior & tenuior fuerit, aut crasſior: Illinc, ſi vel ad pulmones, vel ad pleuram, vel aliò fuerit delata: Ad pulmonem qvidem, ſi acris fuerit ac tenuis, ulcera ejus poteſt excitare: ſi crasſior, tusſim, aſthma, raucedinem: Ad latera thoracis & in coſtas ſuccingentem membranam, pleuritidem: Si fluxus contingat cum impetu, (qvod fieri interdum poteſt ex ſubitanea & vehementi colli alteratione, ut ſi calor ejus inſignis ſudorq; copioſior à frigore vehementiore ſubitò ſupprimatur) catarrhus oriri poteſt ſuffocativus. Sunt, qvi catarrhum à cerebro & imme-

immediato illapſu materiæ vitioſæ in arteriam aſperam, putant arceſſendum, non veteres tantùm, ſed & recentiores. Tantùm verò abeſt, ut recentiores illi à muneris hujus ſocietate excludant, ut admittant potius omni aſſeveratione lymphatica. Clariſs. *Barbette* lib.1.c.IV. Prax. Medic. (de cujus ſanè praxi Medicâ compendioſâ jure dixeris, plus habere illam in ipſo receſſu, qvàm pollicetur fronte) itidem hîc accuſat lympham & glandulas, ceu partem affectam, ipsô qvoq; cerebrô in partem hujus muneris acceptô. Nunc pergo ad curationem catarrhorum ad ductum pathologiæ lymphaticæ, & ſi qvæ hîc occurrant, arcana : Non integram qvidem curationis hujus hiſtoriam, cum hoc non agam, ſed præcipua tantùm ex fonte limpido lymphæ Bartholinianæ profluentia traditurus : Ubi ſtatim præſto ſunt veſicatoria, qvorum ad lymphæ acrioris fluxum copioſiorem aut inhibendum aut imminuendum certè, tam Inſignis uſus eſt tamqve proficuus, ut in hoc qvidem caſu vix habeam, qvod jure ipſis præferam ; cùm qvod artubus appoſita, lympham tenuem ac acrem extrahant prius, qvàm vel per lymphatica poſſint aut per venas ad microcoſmi oceanum, hoc eſt, ad cor remeare ; tum qvod, mediante tenui

humore, ipſas fermentationis particulas in eô veluti hærentes, ſive in ſcorbuticâ, ſive in aliâ fluxione, abigant procul. Verum cum ipſe inventor vaſorum lymphaticorum Illuſtris de vaſ. lymphatic. in homine cap. 3. §. 10. p. m. 177. præclarè, uti omnia, expreſſerit uſum veſicatoriorum planè egregium, placet ejus potius, qvàm meis hìc verbis uti. *In veſicatoriis*, inqvit, *præcipua lymphaticorum vaſorum opera elucet, ubi ichor exprimitur, & provocatur tenuis, qvem vel lymphatica vicina ſuppeditant, vel ſi in locis excitentur, in qvibus lymphatici rami non conſpiciuntur, partes ipſæ mittunt. Et ſanè hinc manifeſtū jam evadit, qvâ viâ in malignis morbis veſicatoria extremis artubus appoſita, à centro ad circumferentiam provocare dicantur venenum. Nam nec venæ ex antiqva, nec arteriæ ex recenti doctrinâ, nodo huic enodando ſufficiunt. Non illæ, qvia reclamat circulatio; non hæ, qvia commodiùs per arteriotomiam ſuccederet ſperata utilitas, qvam tamen in hiſce caſibus, nullus, qvod ſciam, tentare auſus fuit. Nempe malignitas qvæcunqve cordi inimica, cum ſanguine arterioſo & lymphâ per canales arteriarum percurrit, & exinde ad partes delata, à ſanguine, qvi per veſiculas exire viſus non fuit, exprimitur; ichoreqve mixta prius per veſicatoria, exugitur, qvàm per vaſa lymphatica vel venas iterum*

ad cor recurrat. Sed videtur curatio catarrhorum per veſicatoria non nova, aut ex pathologiâ lymphaticâ demum nata, cum ipſis veteribus, ad catarrhum ſiſtendum, & usûs crebrioris & magnæ commendationis fuerint veſicatoria, etiam ante lucem circulationis, nedum vaſorum lymphaticorum patefactam. Inter alios in hâc paleſtrâ Exercitatisſimus trium Medicus Imperatorum Crato præclarè admodum ſentit de veſicatoriis in catarrho, cum nihil ipſi melius videatur ad curationem catarrhorum, uſu ſive cauteriorum, ſive veſicatoriorum, non cruri ſolum ſed etiam brachiis apponendorum. At verò multa videntur veteres non tam ſciviſſe, qvàm per transennam veluti cognoviſſe. Qvamvis notum ac vulgare ſit hoc genus medicaminis, usûs tamen ratione accuratioris non exuit naturam arcani. Poteſt interdum vel ſordidiſſimum qvodqve, legitimæ intuitu applicationis, ſolatium eſſe in caſu periculoſiore, uti ſtercus humanum, (ceu mentio nobis facta eſt in comm. de ſimpl facult. cognoſc. artic. 2. ſect. 1.) Galeno in angina. Verum hic eſt, qvod vulgo ſolet uſurpari. Duo cum faciunt idem, non idem eſt. Lympha autem illa Bartholiniana nos trahit propius ad partem, cui cum fructu poſſunt adhiberi ſive veſi-

 cato-

catoria, ſive alia in catarrho medicamina. Locus autem videtur convenientisſimus cervix (qvamvis & brachium non ſine fructu poſſit ex ipſis lymphæ Bartholinianæ fundamentis eligi.) Qvippe cum in colli tam anteriore, qvàm poſteriore parte, multi dentur rami & propagines ductuum lymphaticorum, lympha qvoqve ipſa ſanguini, in axillari & jugulari venâ, permiſta ad cor deferatur, aut lympha à ſuo tenore deflectat vel acrior juſto vel crasſior: Sive refrigeratum aut calefactum nimis fuerit collum, tot lerna oritur morborum; in tali fluxu humorum, cardo curationis inter alia dirigendus eſt cùm ad lympham ſive acriorem ſive crasſiorem; tum ad glandulas non colli tantùm, ſed & cerebri totius; has qvidem roborando, illam verò corrigendo. Hinc cum nihil æqvè ex omnibus, qvæ ſuffumigiis inſerviunt, ad glandulas faciat corroborandas qvàm ſuccinum: toties ſolebat in noſocomio Lugdono-Batavô *Sylvius* Incomparabilis ſuffumigium ex ſuccino vel vulgo notum, ceu ſingulare in catarrhis miris laudum encomiis deprædicare. Ad cujus exemplum Clariſs. *Barbette* prax. Medic, cap. IV, lib. 1, multos, ait & varios catarrhoſos, ſuffitu ex ſuccino & maſtiche, vidiſſe ſe brevi & feliciter curatos. Lymphæ

phæ autem fluxus variis modis corrigitur, (ut de internis nunc non dicam) veſicatorium cervici appoſitum hic maximè prodeſt, ut lympha extrahatur prius qvàm ad cor reveniat: Qvod non in catarrho tantùm, ſed & in aliis affectibus, in ipsâ qvoqve φθίσι, (cujus curationem teſte Clariſs. *Freitagio*, fruſtra aggredieris, catarrhis primò non ſublatis) maximè meretur commendari. Neqve verò veſicatorium tantùm, ſed & alia medicamina vel Emplaſtra corroborantia, ut de betonic. tacamahac. Maſtich. &c. vel olea aromatica, aut diſcutientia, ut amygd. amararum, lavendulæ, ſuccini &c. aut linteolum calefactum, & ſuccini ſuffitu prægnans; (cùm ut humor craſſus attenuetur ac diſſipetur, tum, ut ſi qvæ obſtructio ſit, aperiatur; & glandulæ qvoqve ipſæ mirificè corroborentur) collo & cervici ob allatas ante rationes cum fructu poſſunt adhiberi in variis affectibus, catarrho, tuſſi, raucedine, difficili reſpiratione, anginâ, dolore dentium & id genus ſimilibus. Ejus qvoqve rei veſtigia videntur extare apud Cratonem, qvi in conſilio de catarrho pro Nobili qvodam, partes cervicis præſertim prope aures, aqvâ ſeqventi compoſitâ ex Aq. rosmarin. Unciis qvatuor, Euphraſiæ unciis duabus, roſarum uncia unâ ju-

bet ablui: Jubet etiam poſt ſomnum primum tibias, deinde brachia fricari. Qvod fit cum ſingulari fructu. Sed citra circulationis & lymphæ ductuum cognitionem, veteres videntur hæc per nebulam veluti noviſſe. Conveniunt qvidem (ut mea fert opinio) veteres cum recentioribus in catarrhoſis curandis, anne autem recentioribus, circulationis ac lymphæ ductuum beneficio, in hoc vel illo catarrhoſo, & citius & tutius curando liceat eſſe accuratioribus; illi judicent, qvi me ſuperant multis paſſibus, ingeniô, ætate, experientiâ. Sed revertor ad colli partes & cervicis. In qvibus ritè habitis ac probè cuſtoditis, cum tanta vis poſita ſit ſanitatis conſervandæ; malè & abs re conſulunt ægris ſuis, qvi in inflammatione partium colli ac cervicis, linteolum aqvâ frigidâ probè imbutum, collo jubent circumdari. Qvod fit cum inſigni detrimento ſanitatis, in primis in phlegmaticis. Si enim, (teſte Clariſs. *Deckero* in notis ad praxin Barbett.) angina poſſit generari, ſi prævio calore & exercitatione motuve plùs ſolito majore, pituita viſcida ſoluta liqvidiorq; reddita, ab aëre frigido ambiente, vel ore hauſto coagulatur: Ipſo etiam aſſerente *Hippocrate* lib. 2. de ratione victus in acut. Næ ingens noxa obtinget ſanitati, ſi tam

ſubitò collum refrigeretur in inflammatione. Alia qvidem ratio eſt gargariſmatum, qvæ & ipſa ex refrigerantibus, in initio inflammationis, ſolent conflari, qvibus tamen Medici Cordati inprimis recentiores aut temperatiora, aut qvæ pituitam incidunt, uti ſpiritum vitrioli, ſal brunellæ, & alia conſueverunt addere. Nota mihi eſt hiſtoria & adhuc in recenti hæret memoriâ Fæminæ cujusdam Honeſtisſimæ Coldingenſis, qvæ ante qvadriennium, ab initio qvidem laborabat tumore glandularum colli. Vocatus chirurgus imperitus linteolũ aqvâ frigidâ imbutũ imponit, unde adeò vis mali ipſius increvit, ut & anginæ ſpeciem præ ſe ferret; & ægram, cui jam pœne loqvelæ uſus erat interceptus, brevi interemiſſet, niſi favente Numine Divinô, ego & chirurgus hujus loci peritior, accerſiti, ab ultimâ veluti metâ, & ipſo confinio mortis, tam internis qvàm externis ſedulò in uſum tractis, eam revocavisſimus. Sunt, qvi hoc remedii genus, linteolum ſcilicet aqvâ frigida imbutum & collo circumdatum, tanqvam ſingulare arcanum commendant in hæmorrhagiâ; De effectu qvidem non dubito, cum tam ex ſangvinis circulatione qvàm ex pathologiâ lymphatica poſſit patere, hinc qvidem, qvod fluxus lymphæ acrioris, qvæ omni-

 no ſa-

no facit in ſcorbuticis ad hæmorrhagiam augendam, impediatur: Illinc verò, qvod ſangvine incraſſatô motus reddetur tardior. Sed magnâ opus eſt cautione, & varia ægri conſtitutio probè expendenda eſt, cum ſuo non vacet periculo. Prudenter admodum Magnus *Bartholinus* aliàs diſſert. IV. libr. de domeſtic. Dan. Medic. de immerſione capitis in frigidam in hæmorrhagiâ. *Caput*, inqvit, *frigidæ immergere periculo non caret, qvanqvam id pro certo experimento proferat Nicolaus Michaelis lib. 2. Empiric. Danic. cap. 2.* Tutior videtur modus hæmorrhagiam ſiſtendi, qvem ſupra laudatus Celeberrimus *Daniel Major* l. ſupra c. inculeat: *Aqva frigida*, inqvit, *vertici inſtillata* (cautè tamen) *actutum hæmorrhagiam narium ſiſtit.* Qvæ qvidem ſive inunctio ſive inſtillatio verticalis, cujus antê facta eſt mentio, laudem meretur maximam, & in multis obtinet affectibus; cui neutiqvam cedit inunctio colli & cervicis, qvæ variis affectibus videtur ſuum polliceri fructum. Nec dubito, qvin, ſi colli partes ac cervicis inſigniter fuerint calefactæ, urina reddatur copioſior; uti de capitis totius calefactione ex *Hippocratis* lib. 2. de morb. demonſtrat ante laudatus *Daniel Major*. Sic enim Hippocrates, (interprete Foeſio) *cum caput*, ait, *ſupra*

modum

modum percalefactum fuerit, copioſa urina redditur. Addit qvoqve rationem. *Siqvidem in eò liqvatur pituita, qvæ liqvata partim qvidem ad nares, partim ad os, partim etiam per venas, qvæ ad pudendum tendunt, ſecedit, qvò cum pervenerit, urinam reddit.* Qvæ qvidem res ad circulationis & lymphaticorum leges optimè poteſt explicari, & ad partes colli & cervicis aptè ſatis accommodari. Qvamvis non diſſonum videatur rationi, id aliis etiam partibus tribuere, ubi vaſorum datur concurſus: Qvippe conſtat, & dictum à nobis eſt in ſuperioribus, pedum ac manuum alterationem inſignem, corporis totius alterationem comitari interdum. Ex hoc fundamento manat, qvod Magnus Rolfincius *lib. 5. ſect. VII. cap. XIV. Ordin. & Method. Medic. Special.* ad alvum, laxandam, volas manuum & plantas pedum, ungvento ex rad. hellebori nigr. & alb. Unc.j. pulp. colocynth. ſiccat. Unc. ſ. ſem. cataput. major. Unc. j. Ricin. Indic. N. XX. centaur. min. libr. ſ. aloes caball. Unc. iij. pulverſ. ſubtiliſſimè, & pingvedine porcinâ exceptis, compoſito, jubeat illini. Datur etiam ſæpius in pedum refrigeratione experiri, ut ob partium calidarum ac acrium ad interiora receſſum, alvus ſeqvatur laxior, uti pari ratione fit in metu, ob

receſſum caloris ad interiora, unde illud Poëtæ

Trepidum ſolvunt tibi cornua ventrem.

Hieroymus Thriverus lib. 2. aphor. 20. (recitante Magno Rolfincio l. c.) *ſcribit, ruſticos jam dudum didiciſſe ab experientiâ, ſi nudis pedibus obambulent, ventrem pertinacem ſolvi.* Idem Rolfinc. l. c. ex Antonio *Muſâ Braſſavolâ* refert ſeqventem hiſtoriam. *Borſium Ferrarienſium Ducem in alvi duritiem incidiſſe, & per triduum nihil excreviſſe: Conſultumqve eâ de re Michaelem Savanorolam ſuaſiſſe clyſterem injici. Hoc nihil proficiente, juſſit pavimentum, qvod erat marmoreum, frigidâ aqvâ copioſiore inſpergi. Illi cum inambularet, lubrica alvus faciebat officium.* Qvi modus alvi ſolvendæ non tutus ſemper eſt, nec ſui expers periculi. Nunc porrò videndum eſt, qvæ ad praxin redundent arcana ex ductibus Warthonianis ac Stenonianis, ad qvos prolabitur ſermo. Dentium doloris (de qvo dictum eſt ſuprà, ubi explicationem ex his ductibus promittebamus commodiorem) & hiſtoria & curatio facilior, egregiè poteſt, fateor, tam ex lympha Bartholiana, qvàm ex his ductibus Warthonianis pariter ac Stenonianis delineari: Facem nobis prælucente Clariſs. *Thomâ Willis* in tractatu ſuo de ſcorbuto accuratiſſimo,

tisſimo, ubi inter alia de ſymptomatibus ſcorbuti circa os & fauces in hunc modum: *Huic morbo ingraveſcenti ſupervenit ſputatio copioſa, gingivarum ſangvinolentia, deinde earum flacciditas, ac tandem putrefactio, qvam dentium eroſio, vacillatio, aut caſus, cum oris fœtore comitari ſolent: Qvorum ratio ut melius conſtet, inprimis advertendum eſt, circa partes oris peculiares qvosdam ductus nempe ſalivales, qvibus ſeroſi humores copioſè excernantur, conſtitui. Iſti autem à variis glandulis, nempe parotidibus, maxillaribus, & ſublingvalibus exorti, maximâ ex parte circa gingivas aut propè ipſas terminantur. Horum munus conſtans ac ordinarium eſt, ſalivam propter uſus qvosdam neceſſarios in cavitatem oris deponere. Præterea tamen obſervare eſt, humores ſuperfluos qvin & vitioſos craſſiores forſan, qvàm ut per ſudorem, urinam aliasqve vias ſecernantur, hac viâ foràs amandari. Argentum vivum ſalibus ſubactum, & deinde intus aſſumptum, aut corpori illitum, à ſalinis corporis noſtri particulis minutisſimè diſſolvitur, iisqve involutum penitisſimè immiſcetur. Hujusmodi ſalium & mercurii concretiones per omnes humores, inqve omnes totius corporis partes diffuſas, cum natura, ſiqvidem moleſtiam pariunt, expellere nititur, illarum excretionem per hæc oris emunctoria, optimè & qvidem facillimè molitur.*

Ete-

Etenim ſangvis & aliqvatenus liqvor nervoſus, recrementis illis mercurio-ſalinis onuſti, eadem omnino excutere ſatagunt, qvæ tamen cum craſſiora fixioraqve ſint, qvàm ut per diaphoreſin exhalent exudentqve, aut à renum fermento præcipitata, per urinam amandentur; illa interdum arteriarum oſcula inteſtinis inſerta, perrumpentia, aliqvatenus per alvum excluduntur. Attamen iſtius pharmaci particulæ ſero obvolutæ promptiſſimè in prædictis glandulis, aliisqve ad os & gulam ſpectantibus depoſitæ, per ſalivationem uberius excitatam, effluunt, qvô effluxu gingivas, aliasqve oris partes exulcerari, ac dentes cum fætore oris vacillare contingit, &c. Et paulò pòſt concludit, *par eqvidem ratio ſymptomatum in ſcorbuto accidentium reddi debet.* In verbis illis Williſianis multa merentur annotari, ductuum ſalivalium uſum nobis practicum ante oculos ponentia: Primùm enim inculcant, ſcorbuti ingraveſcentis materiam ſalſo-acrem, ac tantùm non mercurio-ſalinam, per hos ductus cõmodiſſimè excerni; ſi craſſior fixiorqve eſt, qvàm ut per diaphoreſin aut per urinam poſſit evacuari, unde gingivarum exulceratio, dentium caſus, eroſio, fætor oris, & alia id genus ſcorbuti ſymptomata deducuntur. Ex hoc etiam fonte profluit doloris dentium cognitio accuratior, cum ſym-

ptoma ſcorbuti ſit ſæpius, cum partium exulce- ratione conjunctus interdum, ſi humor acrior & veluti corroſivus fuerit, cùm per hos ductus, tum per arterias eò delatus. Deinde in his verbis Williſianis comparatio inſtituitur copioſæ in ſcorbuto ſputationis cum ſalivatione artificiali, uſu mercurii, inſtitutâ. De uſu ſalivationis poſtea. Nunc paucisſimis de dentium doloris curatione, ex fonte, ductuum ſalivalium, promanante. Cum igitur, à glandulis parotidibus ſub auribus ſitis, maxillaribus & ſublingualibus, exoriantur hi ductus, in aprico ſtatim eſt, qvàm inſigniter in dentium dolore proſint medicamenta prope aures adhibita; ſive veſicatoria, qvæ maximam hìc merentur commendationem, ſive corroborantia ac diſcutientia. An locus hìc qvoqve detur adſtringentibus, niſi exſiccantia ſimul ſint ac humorem ſuperfluum abſumentia, eſt qvod admodum dubitem. Clariſs. *Higmohrus* tamen, uti conſtat ex ſuperioribus, adſtringentia videtur commendare. Sed verba ejus ita videntur intelligenda, ut adſtringentibus alia addantur corrigentia. Sub ore etiam cum fructu in dolore dentium (qvod itidem patet ex principiis recentiorum planius) trochiſci poſſunt ex diſcutientibus ac corrobantibus, aut humorum fer-

fermentationem qvodammodo inhibentibus, imò ex narcoticis haut rarò, ſi dolor juſto intenſior ſit, detineri. Lucem accipit porrò ex lymphaticis Bartholinianis remedium dentium doloris empiricum, ex raphano ruſticano contuſo, & cubito lateris affecti appoſito; cujus & mentio jam facta eſt ſupra, & qvod dubio procul omni ſuam debet originem Magnis Authoribus. Raphani enim hujus beneficio (qvod innui etiam in ſuperiobus) cauterii veluti vicem qvodammodo ſuſtinentis, lymphæ particulæ & tenuiores & acriores, in qvibus haut rarò malignitas hæret; abſorbentur prius, qvàm aut per lymphatica aut per venas ad cor revehantur. Qvod qvidem remedii genus haut multum videtur à curandi ratione trium Imperatorum Medico Cratoni in humorum fluxione familiari diſſidere. *Fortiſſimo lixivio* (ait ille in conſilio pro Nobili qvodam) *& panno aſperiore cubitum confricarem, atqve hoc modo exulcerarem iſtas partes, qvæ ne conſolidarentur ſed plurimum materiæ efflueret operam darem. Non absqve dolore fit. Sed ob utilitatem æqvô animo ferat.* Empiricam illam raphani ruſticani in dolore dentium medelam cum curatione catarrhorum Cratonis conferenti opportunè incidit, qvod olim memini dicere ſolitum fuiſſe Inſignem illum Practicum Kilonienſium

& Ar-

& Archiatrum Schleswigo-Holſatum Dominum D. *Matthiam Clauſen*, qvondam ſe tyronem vel qvævis ſive empirica ſive arcana à tonſoribus, vetulis, aut aliis ejusdem gregis jactata in libellos ſuos memoriales retuliſſe, eô qvidem animo, ut & ætate & in arte Medicâ provectior, ad judicii ſui lancem, an ratio ſubeſſet ſolidior, ipsâ qvoqve experientiâ in partem acceptâ, ad uſum protraheret Medicum rectius expenſa; Neqve dubitare ſe, qvin ortum ſuum Magnis Authoribus referrent acceptum: Qvamvis uſu dicam an abuſu, nec non temporum longitudine Empiricorum nomine ſuſpecta ſordere cœperint Dogmaticis. Peregregiè, uti omnia, *Bartholinus* Incomparabilis (diſſert. 5. de domeſtic. Danor. Medic.) *in re herbaria* (ait) *multa renaſcentur, qvæ nunc cecidêre, cadentqve, qvæ ſunt in honore.* Qvocirca non mirum eſt, ſi temporis diuturnitate multa nunc renaſcantur, ſed Empiricorum nomine infamia; qvæ qvondam ipſis Dogmaticis fuerunt in honore, & ſordeſcant poſteris, qvæ nobis æſtimantur magni. Non vilitate igitur aut pretio ſui metiri oportet medicamen, ſed uſu, qvem præſtat in arte Medicâ, Excellentiore. Nunc brevisſimis, unde paululum digreſſus ſum, qvem porro conferant

uſum in arte Medicâ ductus illi Warhoniani pariter ac Stenoniani. Facta mentio eſt antea à *Williſio* & ſymptomatum ſcorbuti, & ſalivationis. Putat enim Clariſs. vir, ſputationem in ſcorbuticis copioſam, & ſalivationem ope mercurii ſive intus ſive foris adhibiti excitatam aliqvâ gaudere affinitate, tam humoris intuitu qvàm excretionis, hinc qvidem qvod æqvè in ſputatione ſcorbuticâ, ac ſalivatione artificiali humores vitioſi copioſius tam per ductus ſalivales qvàm arterias affluant ad oris partes; illinc verô qvod ut ibi in ſalivatione nimirum artificiali ſalium & mercurii concretiones moleſtiam creant corpori & graviſſima, niſi excernerentur, excitarent ſymptomata: ita etiam in ſcorbuto ingraveſcente propius videntur accedere humores vitioſi ad indolem mercurio-ſalinam. Ex qvibus patet, qvantus ſit uſus ſalivationis non in lue tantum venereâ, qvod noto notius eſt, ſed etiam in ſcorbuto contumaciore, arthritide, Epilepſia & aliis id genus affectibus. Uſum horum ductuum ipſa qvoqve oſtendit natura, qvæ interdum in declinatione morborum materiæ vitioſæ expulſionem molitur per hos ductus ſalivales. Hinc ante laudatus Dominus *Thomas Willis* l. c. *Hujusmodi*, (ait) *ſalivatio interdum*

ſine

ſine mercurio in febrium malè judicatarum decli-natione criſeos loco ſponte ſuccedit. Cum qvibus oppidò videntur cōvenire, qvæ apud Magnum *Rolfincium lib. V I. Sect. III. cap. 1. Ord. & Me-thod. ſpecial. Medic. comment Spontaneæ* (inqvit) *ſolutiones febrium ardentium, arthriticorum dolo-rum, ſcabiei, ulcerum antiqvorum per ſalivatio-nem dederunt occaſionem cogitandi de hoc præſi-dio.* Eſt igitur Salivatio alia naturalis, alia ar-tificialis; hæc ope mercurii à morborum arti-ficibus inſtituitur, illa fit ſponte vi ipſius natu-ræ: Qvæ (uti obtinet aliàs in omni fluxu) vel ſymptomatica eſt, vel critica. Symptoma-tica eſt, qvæ ob ſalis ac ſulphuris enormium re-crementa nimis copioſa, copioſiore & juſtò diutius protractâ ſalivatione ægri vires exhau-rit, ſubtracto ſangvini & chylo vehiculo com-modiore, ut & chylus ſit craſſior, & tranſitus per lacteas ad cor tardior; unde læditur nu-tritio, qvâ læſâ oritur ἀτροφία. Critica verò eſt, qvæ & ipſa ſponte fit in morborum decli-natione, ſed cum ſummo ægri levamine. Cri-ticæ illuſtre occurrit exemplum apud Magnum *Rolfincium* in febre ardente. Sic enim ille (lib. 3. ſection. 2. cap. LXI. Ord & Method. Medic. ſpecial. comment.) Διὰ πτυαλυσμὸν *per ſputum obſervavimus ardentem terminatam feli-*

 cuſimè

cuſimè copioſum & continuum, diurnum & no-ctarnum. Praſagiri poteſt, fauces ſi copioſum præcipitare viderimus phlegma. Ex praxi meâ utriusqve tam criticæ qvàm ſymptomaticæ ſuppedito Exemplum. Hujus qvidem ante ſemeſtre in ſene qvôdam Perilluſtri, cui ſingulis momentis citra tuſſim tanta ex ore profluebat materiæ admodum craſſioris copia, ut in ſummam raperet admirationem adſtantes: Cumqve ad aliqvot ſeptimanas in ſene ſeptuagenario majore & fluxus continuaretur, & ſangvis extremè eſſet corruptus, viribus tandem & morbi vehementiâ & diuturnitate attritis, exſpiravit. Illius verò in juvene ſangvineo ſcorbutico, cui per aliqvot dies ingens copia materiæ ſeroſæ ſed acrioris ex ore promanabat ut gingivam exulceraret. Sed optimè pòſt habuit fluxu illo finito. Et tantum de naturali eâqve vel criticâ vel ſymptomaticâ. Nunc verbo tantum de artificiali, cujus adminiſtratio ſatis ſuperqve ex tot Practicorum libris nota. Id tantum advertendum eſt, ut peritus artifex accedat, qvi temperamentum à temperamento probè nôrit diſtingvere. In illis igitur exulet ſalivatio, qvi & gracilioris corporis texturæ, & temperamenti ſunt ſiccioris, ne copiosâ nimis ſalivatione ſubtractô ſangvini ac chylo

chylo vehiculo ſuo, ægri incidant in atrophiam. Claudemus articulum verbis Magni noſtri *Bartholini*, Spicil. lymphatic. 2. cap. VII. *Id notandum, ait, contra dubitantem Bilſium; ſalivationem diuturnam & copioſam maciem inducere corporibus ſubducto nempe vehiculo nutrimenti, fermento & viſcerum refrigerio.* Et tantum de inventis Bartholinianis, de ductibus item Warthonianis ac Stenonianis.

Artic. III. Cap. II. Sect. II.

Qvænam arcana ex inventis Sylvianis.

SI *Sylvii* Medici ac Profeſſoris Lugduno-Batavi Incomparabilis inventa attendamus & experimenta Illuſtria, permulta huic in arte Medicâ deberi, nemo non verè & citra fucum dijudicans ultro fatebitur. Si ea tantum, qvæ in doctrinâ de febribus intermittentibus præſtiterit vir Celeberrimus, rectâ nobiscum viâ reputemus, vel eâ ipsâ æternam ſui nominis memoriam promereri, nec livor ipſe infitiabitur. Sed ad rem ipſamqve adeò Sylvianam de febribus doctrinam. Petere eandem licet ex Epitome praxeos Sylvianæ; ubi febrium ortus intermittentium deducitur à pituitâ, variè ductus pancreaticos obſtruente. Periodorum verò diverſitas à pituitæ ipſius diverſitate ma-

gis vel minus viſcidæ. Duplex item aut triplex tertiana aut qvartana, prout varii ductus pancreatici obſtructi ſunt; Symptomatum deniq; diverſitas à bilis aliorumq; humorum confluxu diverſo. Nec eſt, ut qvotidianam à pituitâ derives cum veteribus, à bile tertianam; ab humore melancholico qvartanam: Periodorum verò varietatem à motu humorum vario. Cum conſtet vel ex ſolâ qvartanam infeliciter curandi ratione, qvanta ex hac doctrinâ difficultas, qvantæ in arte Medicâ tenebræ fuerint obortæ. Viderunt etiam alii errorem veterum, ſed veluti per transennam. *Chriſtianus Langius* Chymicus qvondam ac Profeſſor Lipſienſium Celeberrimus (uti memini legere me olim in manuſcripto qvôdam collegio) non ex mente veterum in humore melancholico, ſed in pituitâ viſcidiore cauſam febris qvartanæ ſtatuit collocandam. Neq; modum curandi hanc febrem per clyſteres, per calidiora, aperientia, vomitoria & alia id genus expeditisſimum nobis voluit invidere. Verum cum plenius hæc omnia ex ſucco pancreatico, ejusqve ductibus, non in qvartanâ ſolum, ſed & in reliqvis intermittentibus enodata uni debeamus Sylvio; haut qvenqvam videtur adſciſcere in gloriæ illius ſocietatem, qvæ tam egregiæ debetur

betur inventioni. Cujus beneficio felicius & commodius nunc datur progredi in febrium hujusmodi curatione, & tribus ferme modis arcana tyronibus comparare. Qvippe alia. qvæ in cenſu ſive antifebrilium ſive arcanorum hic titubanter tantum habuerunt veteres, ea licet nunc ſolidioribus innixis fundamentis, & certius & firmius aſſeverare. Alia item in certa tantum ſpecie febris commendata veteribus; vel in qvibusvis febribus intermittentibus; niſi aliud ſuaſerit ægri & circumſtantiarum diverſitas, commendare. Alia deniqve in aliis affectibus celebrata, cum fructu inſigni ad febrium qvoqve curationem pertrahere, Clyſteres qvidem & ipſi, (ut inde capiam initium) jam à longis usqve ſeculis, cum nondum innotuerit & inventio, & doctrina Sylviana; non in febribus tantum, ſed & in aliis affectibus variis in uſu fuerunt freqventiore. At neq; febrium cauſa intermittentium æq; jam tum cognita eſt penitius, nec uſus clyſterum ipſe (qvem & ætas recentiorum & ſangvinis circulatio luce magis apricâ donavit) inſiginor. Veterum pleriqve limitibus incluſerunt anguſtioribus uſum clysmatū longius nunc ac latius patentem. Qvippe cum ad alvum tantum emolliendam, tum ad fæces, & qvicqvid in inteſtinis

craſsioribus daretur, materiæ vitioſæ, educenda jam tum commendabiles erant clyſteres. At me qvidem cenſente in debilioribus poſſe & vicem ſuſtinere purgantium; & ex locis etiam remotioribus interdum vitioſos evacuare humores, tot rationes videntur ſuadere, in partem qvoqve veniente optimo rerum Magiſtro uſu qvotidiano. Rationes patent cum ex modo operandi purgantibus ad mentem recentiorum familiari, tum ex ſitu inteſtinorum, & cum partibus vicinis concentu. Purgantia cum ad modum fermentationis credantur operari recentioribus, inprimis *Martino Scoockio de fermentat. cap. XXVIII.* Hâc qvidem ratione ut prius perveniant ad ventriculum; unde dum à particulis volatilibus ſpirituoſis ac vi purgatrice prægnantibus ventriculus vincitur, vis illarum mediantibus atomis hinc inde diffunditur, hoc eſt, vaſis ſangvineis concipitur; fitqve jam tum vitioſi ſegregatio humoris & propulſio ad inteſtina fermentationis beneficio in maſsâ ſangvineâ excitatæ. Qvidni etiam in clyſteribus, ſi purgantia addita fuerint fortiora, particulæ volatiles ſpirituoſæ ac vi qvâdã purgandi præditæ ſe oſculis venarum lactearum inſinuantes mediante circulatione in maſſam ſangvineam diffuſæ & ipſæ fermentatione excita-

citata humores vitioſos ac heterogeneos ſegregatos expellerent, inprimis in debilioribus, in qvibus haut rarò ſcopo facit ſatis vel ſolus odor purgantium. Qvod enim ſive ſpirituoſæ ſive vaporoſæ qvædam particulæ ex inteſtinis mediante circulatione ad totum corpus poſſint elevari, diſcimus inter alia ex alvi adſtrictione diuturniore, ubi ex fæcibus diu retentis pravi vapores ad has vel illas partes delati varia excitant ſanitatis incommoda. Qvidni pari ratione ſuas exerant operationes particulæ ex clyſteribus tenuiores. Qvid? qvod abundè id evincant clyſteres nutrientes tot medentium ſuffragio dudum adſcripti in civitatem Medicam (de qvibus præter *Claudinum*, *Sennertum*, *Rolfincium* & alios ex profeſſo egit Ingenioſiſſimus *Regnerus de Graaff* in tractat. de clyſteribus accuratisſimo) niſi enim ſuo fructu velis eosdem defraudare, neceſſe eſt, ut ad oſcula venarum lactearum pertingant particulæ qvædam ſucculentæ ac vi nutriendi præditæ. Ipſe deniqve ſitus inteſtinorum ſuggerit nobis argumentum. Qvippe clyſter inteſtinis injectus tanqvam fotus incumbit viſceribus abdomine contentis. Qvod probé animadvertit *Primeroſius* de erroribus vulgi. lib. 4. cap. 20. Hinc ille: *Confert autem clyſter qvàm plurimis par-*

partibus, cerebro, oculis, ſtomacho, internis viſceribus : Nam non tantum alvum ſolvit, ſed etiam liqvidâ ſuâ ſubſtantiâ deterget plurimos craſſos viſcidosqve humores, inteſtinorum tunicis adhærentes; & præterea tanqvam fotus incumbit renibus & viſceribus abdomine contentis, unde ea ſæpe è corpore educit, qvæ repetita purgatio non ſolvit. Qvæ qvidem omnia experientia qvotidiana reddit clariora. Cernas licet, nonnullos uno tantum clyſmate injecto vel ſexies imò ſepties ſat largiter expurgari. Licuit mihi experiri in ægris, qvibus etſi per integros aliqvot dies nullum aut certè exiguum ſumpſerant cibum; unius tamen ope clyſteris etiam qvater aut qvinqvies largisſimè alvus fuit ſoluta: Idqve ſingulis diebus, qvibus uſus enematis eſt reiteratus. Qvocirca in febribus admodum malignis non disſuadeo penitùs uſum clyſterum, ſed cautio eſt adhibenda, ut ne purgantia addantur ipſis fortiora, ne factâ humorum in corpore agitatione curſus impediatur naturæ, expulſionem materiæ malignæ ad exteriora molientis. Sed redeo ad curationem febrium intermittentium ad inventa Sylviana inſtituendam, à qvâ digreſſus videor paululum. In febribus igitur intermittentibus ſingulare arcanum clyſteres ſunt, non vulgari modo, ſed ad ductum recentiorum concinnati. Ex emollientibus qvidem,

dem, ſed additis ſpecificis antifebrilibus, aut vi qvâdam craſſam ac viſcidam illam pituitam incidendi præditis, ut pulegio, ſerpillo, Origano, Meliſsâ, radice angelicæ, lil. albor. aut ſale ſive criſtallo Tartari, & aliis id genus. *Chriſtianus Langius* ſæpius nobis laudatus nonnihil tincturæ ſuæ vitrioli balſamicæ addidit clyſteri, qvô ſe vetulam ait qvartanâ laborantem ac pæne conclamatam feliciter reſtituiſſe; Qvamvis & hic ſymptomatum & humorum cõcurrentium diverſitas qvoqve ſvadeat diverſa; Sæpius autem atqve iterum repetendi ſunt illi clyſteres, horis etiam aliqvot ante paroxyſmum, cum ad motum pronior ſit materia. Freqvens inprimis ſit uſus clyſterum in qvartanâ & in febribus Epidemiis. Qvæ in his locis ſæpius, aut intermittentes ſunt, aut certè ex continuâ ac intermittente compoſitæ ob pituitæ ac lymphæ craſſioris abundantiam. Cujus etiam notæ erat febris illa, qvæ ante biennium in his aliisqve locis graſſabatur: In aliis qvidem locis mitior; in aliis vehementior cum multorum interitu (qvâ de re etiam poſtea in explicatione Williſianâ) Ægros vexabat calor continuus, ſitis intenſior, vigiliæ pertinaces, delirium, dolor lumborum lancinans, tuſſis moleſtiſſima, tantaqve debilitas virium, ut qvarto ſtatim aut qvinto die morbi vires viderentur exhauſtæ.

 Et

Et qvamvis perpetuô hæc affligerent ſymptomata: Tertio tamen qvôqve die ingens caloris ac frigoris aderat viciſſitudo ad modum veluti qvendam intermittentis. Hinc multos exercuit medentium, qvin imò ipſos veteranos & in arte Medicâ maximè exercitatos. Cum frigidiora, qvæ continuæ videbantur convenire, pituitam viſcidam in pancreate hærentem magis magisqve augerent. Præter expectorantia ac alexipharmaca ſacræ inſtar anchoræ erant enemata; qvorum neglectu, cum morbi illius indolem ſub ſpecie qvâdam novitatis invadentis haut penitius cognoſcerent Medici fortean juniores, ægrorum multi in eum venerunt locum, unde qvenqvam negant redire. Ex qvibus liqvet, qvis fructus, qvæ utilitas ſit clyſterum in febribus intermittentibus. Vomitoria & ipſa hìc, & in ipsâ qvoqve qvartanâ oppidò proficua eſſe interdum, ex recentioribus inter alios *Gottofredus Mœbius*, Profeſſor qvondam Inclytæ ad Salam Academiæ Celeberrimus in diſputatione de vomitoriis Eruditisſimâ inculcavit. Memini olim mihi retuliſſe Dominum D. *Clauſenium* Practicum Kilonienſium & Archiatrum Schleswigo-Holſatum Celeberrimum, primum artis ſuæ ſpecimen edidiſſe ſe Kilonii in qvartanario qvôdam

fere

fere conclamato. Cui, cæterorum conatibus conſiliisqve Medicorum à mali pertinaciâ eluſis, croci metallorum grana qvartuor propinavit tam felici cum ſucceſſu, ut pituitæ viſcidioris ingenti colluvie vomitu ejectâ, & æger brevi pòſt ſibi redderetur ipſi; & toti Holſatiæ, qvæ nunc viget floretqve & induſtria Domini D. *Clauſenii*, & artis Medicæ peritia Inſignior innotuerit cum tot ægrorum commodô, & Magnâ Nominis celebritate. Verum hæc omniâ nunc luce adhibitâ Sylvianâ longè fiunt clariora. Cum vis morbi ipſius reſideat in effervescentiâ præternaturali ex ſucci pancreatici vitioſi & bilis concurſu in inteſtino tenui natâ, unde & halitus ad ventriculum delati & inde ad fauces, ructus excitant modò acidos modò amaros, pro humoris varietáte peccantis: Sedes verò ipſa in pancreate ejusqve ductibus obſtructis. Porro ſi ſpecifica ſeu antifebrilia ipſa ſpectemus, ſtantibus principiis illis Sylvianis, non eſt, ut ſal aut eſſentiam centaurii minoris, cardui item benedicti, thymi, rutæ, tartari &c. in qvartanâ; abſinthii verò in qvotidianâ; Cichorii in tertianâ tantum commendemus: Cum tam hæc qvàm alia plantarum ſalia febribus etiam qvibusvis intermittentibus maximè conveniant. (Qvod ipſi etiam

etiam ſalium qvondam exoſores nunc ultro coguntur fateri) in primis, ſi præmiſſis, uti vocant, præmittendis, aliqvot ante paroxyſmum horis propinentur. Pituitam enim viſcidiorem ipſam obſtructionis matrem incidendo & obſtructiones reſerant; & materiam vel acido- vel ſalſo-acrem, ipſum fermentationis febrilis fomentum cum per urinam, tum per ſudorem excernunt. Nec eſt qvoqve inventionis intuitu Sylvianæ, ut ad ductum veterum frigidiora operosè commendes in tertianâ, In qvotidianâ verô calidiora. Qvod hanc pituitæ, illam bili veteres putârunt deberi. Sed cum intermittentes omnes ortum trahant ab obſtructione ductuum pancreaticorum, ſuosqve natales referant pituitæ, in qvibusvis intermittentibus obtinere videntur calidiora; qvæ miſcenda tamen prudenter ſunt pro variò humorum concurſu, ut frigidiora addantur, ſi bilis abundaverit; ſin pituita, calidiora. Pro humorum igitur concurrentium diverſitate (qvam ſymptomatum docet varietas) fit ſæpius, ut calidiora proſint in tertianâ; in qvotidianâ verò frigidiora: In qvartanâ verò non temperata aut antimelancholica veteribus dicta, qvæqve curationis tantum vicem ſuſtinent palliativæ (qvalia ſunt ſirupus Borraginis,

nis, bugloſſæ, capill. veneris, ſcorzoneræ &c.) ſed & ſale volatili & penetrandi inſigniore pregnantia, qvalia præter antiſcorbutica ſtrictius dicta, ſal volatile C. C. urinæ, viperin. Sylvian. ſpir. ſalis dulcis, armoniac. tartari C. C. theriacal. antimonium diaphoreticum & id genus ſimilia. Ex compoſitis hîc ut aliqvid ſaltem videar dixiſſe, duo cupio tyronibus commendata miſturam meam antifebrilem, & Electuarium Clariſs. *Thomæ Willis* antiſcorbuticum. Electuarium Williſianum hoc eſt.

R. Conſ. Flaved. aurant.
Limon. an. Unc. iij.
Myrobal. cond. N. ij.
Salis abſinth. Drach. ij.
Vitrioli Martis. Drach. j.
cum ſirup. e cortic. citr. ſ. q.
f. l. a. Electuar. d. S.

Ein Schör- und Fieber-Latwerge.

Miſtura verò antifebrilis mea ad ſeqventem modum concinnata eſt.

R. Miſtur. ſimpl. Drach. j. (Scrup. ij.
Eſſent. Abſinth. Compoſit. Rolfinc.
Spir. Tartari rectificat. Scrup. j.
Cochlear.
Salis dulc. an. Scrup. ſ.
M. f. l. a. d. S.

Ein Fieber-Miſtur auf etlichen mahlen. A

A febribus pedem promovebimus ad affectionem ſic dictam hyſtericam, qvam ab uteri vitio derivabant veteres : Sylvius verò à ſucco pancreatico : Unde ad mentem Magni Præceptoris Ingenioſiſſimus *Regnerus de Graef* de ſucco pancreatic. §. 189. *Unum tamen* (inqvit) *de ipſo magis auſtero* (ſermo eſt de ſucco pancreatico) *lubet addere, ortum ab ipſo habere ſtrangulationis ſenſum ac metum fœminis qvidem qvàm maribus magis familiarem, atqve ficti uteri aſcenſus nomine paſſim notum.* Et paulò pòſt idem §. 190. *Ex hac & ſimilibus obſervationibus aliis non abſurdum videtur dicere, viros aliqvando ſuffocatione laborare hyſtericæ conſimili, cum præſertim hujus cauſa proxima non accedat immediatè ab utero, ſed à tenui inteſtino, in qvo excitati ob vitioſam concurrentium humorum effervescentiam halitus & flatus auſteri, qvoties per œſophagum aſſurgunt, eundem ita angunt, ut in ſtrangulationis periculo ſe verſari putent ægri.* Huc usqve *Regnerus de Graaff.* Interim non dubitandum eſt, qvin in mulierculis, qvibus hæc familiarior affectio eſt, materiæ colluvies vitioſæ in utero contenta tot aliàs morborum lerna muliebrium cauſæ vicem remotioris ſuſtineat. Sermo igitur inſtituitur recentioribus, mali hujus novam veluti originem indagantibus, cum de parte affectâ, tum de causâ ejus pro-

proximâ. Neqve verò & hoc videtur in dubium vocandum, qvin mali ſomes uterini, ipſo veterum teſtimoniô proximè hæreat in vaporibus aut halitibus ſui generis malignis. Qvi auſteri nomine, ad genium ejusdem malignitatis rectius cognoſcendum, comprehunduntur Incomparabili *Sylvio*. Nihil enim aliud eſt τὸ illud malignum ſui generis, qvàm vitioſi humoris acqviſita proprietas: Sive illa in acidô-acri, ut lues venerea, ſive in ſale volatili acri, uti peſtis; ſive in auſtero, uti affectio, qvæ loci hujus eſt, hyſterica conſiſtat. Hyſtericæ hujus ſic dictæ affectionis oblata mihi eſt ante biennium circiter hiſtoria mulieris cujusdam, unde opinioni Sylvianæ multum poteſt lucis accedere. Laboraverat eadem per aliqvot jam annos, uti ex ſermone ejus conſtabat, ingenti vomitu biliosô, ſingulis ferme diebus recurrente. At neglectu medicaminum, ab qvibus ægra abhorrebat prorſus; in miſerabilem tandem incidit affectum, qvem ex ductu veterum licet hyſtericum appellare. Qvippe tantus & ventris tumor & elevatio tempore paroxyſmi ægræ videbatur oboriri; ut ventrem uxoris ſuæ maritus etiam robuſtisſimus ſuis manibus arctisſimè comprimendo vix ægræ ſatis potuerit facere. Remittebat autem paroxyſmi ipſius vehe-

vehementia tum demum, cum bilis porraceæ & tantum non æruginoſæ ingens copia vomitu ejiceretur. Ex qvâ qvidem hiſtoriâ ejusqve circumſtantiis vel tyroni in proclivi eſt conjecturare, mali hujus cauſam fuiſſe fermentationem humorum inſignem ex bilis vitioſæ cum ſucco pancreatico in inteſtino tenui concurſu natam: Unde halitus ac flatus auſteri cum impetu elevati præter tumorem & elevationem ventris ipſum videbantur ſtrangulatum minari. Ex neglectu enim medicaminum factum eſt, ut & bilis & ſuccus pancreaticus vitioſa juſto retenta diutius nonnihil adſciverint malignitatis. Hinc non mirum eſt, oriri ex utriusqve concurſu tot tantaqve ſymptomata potuiſſe. Qvamvis non negârim, etiam uteri ipſius colluviem, qvantumvis remotius ſuum hîc contuliſſe ſymbolum. Qvantum enim colligere mihi licuit ex mariti narratione, mali ipſius prima origo videbatur deberi enormi diætæ errori, aliqvot tantum à partu diebus patrato. Cum autem non eôdem modô, nec iisdem in omnibus ſymptomatibus; ſed in variis variè contingat hic affectus, gerere in nonnullis hunc poſſe ſpeciem qvandam ſyncopes, non dubitamus cum Clariſs. *Higmorbo* aſſeverare. At viris qvoqve hanc ſuffocationem hypochon-

pochondriacam (qvô nomine appellat præter Sylvium Incomparabilem Clariſs. *Barbette* prax. Medic. lib, 4. cap, 9.) contingere interdum, ipſa docet experientia. Integer annus elapſus eſt, cum vir exqviſitæ eruditionis, Fautor ac Amicus ſingularis hoc itidem affectu laborans hypochondriaco, (qvi graviter ſolebat affligi dolore ventris Exqviſitiſſimô, ſudore frigidiore, palpitatione cordis; & aliis hyſtericæ dictæ affectioni communibus ſymptomatibus) mihi referret, prodromum paroxyſmi ac horum adeò ſymptomatum eſſe ſtrangulatum veluti qvendam ad collum usqve pertingentem. Veſtigia qvædam hujus rei etiam veteres videntur ſubodorati, causâ tamen haut æqvè cognitâ. Crato trium Medicus Imperatorum mentionem facit compreſſionis oris ventriculi & ſpritus qvaſi intercluſi in viro qvôdam Nobili. De cauſa diſſerit ſeqventem in modum: *Vel colligi in ventriculo vel confluere ad illum humores exiſtimo. De pituitæ, qvæ in ventriculo generatur, corruptione nullum dubium. De affluxu humoris, ſit ne is à jecinore vel ſplene, hæreo. De meatu illo à veſiculâ fellis, qvi miſeros à nativitate facit, non cogito, neqve bilem copiosè transmitti arbitror. Aliqvid bilis interdum cum pituitoſo humore miſceri, exiſtimo; unde pituita*

O illa,

illa, qvæ rejicitur, flaveſcit & viridis apparet. Acrem atqve acidum illum humorem è ſplene affluere, & in ſtomacho magis magisqve corrumpi ſtatuo. Ab hoc ſtrangulationis, acredinis, & aliorum ſymptomatum ſenſus excitatur. Inventis nunc Sylvii patefactis via pedibus expeditior viſa eſt cùm ad explicationem cauſæ, tum curationem ipſam accuratiorem, cum ſcaturigo horum ſymptomatum ſit ſuccus pancreaticus & acrior & copioſior & bilis ad tenue inteſtinum delata, ex qvorum concurſu oritur ſive fermentatio ſive efferveſcentia, elati inde halitus acido-acres aut potius auſteri ad orificium ventriculi & ipſum æſophagum, non poſſunt non minitari ſtrangulatum. Color qvoqve viridis & ipſe ortum refert acceptum concurſui bilis cum ſucco pancreatico. Qvod confirmat obſervatio Clariſs. *Regneri de Graaff* de ſucco pancreatico §. 157. *Ut proinde* (ait) *de verâ humoris ex atro vireſcentis origine fierem certior, bili ex veſiculâ ſuâ eductæ ſpiritum vitrioli affudi & ſimul illa duo in ſolis æſtu collocavi, unde ſimilem colorem ex atro vireſcentem conſecuta eſt: Hinc concluſi, humorem prædictum in tenui inteſtino repertum ortum habuiſſe à bile eò effuſâ & à ſucci pancreatici tunc ſalſo-acidi occurſu colorem ejus ita mutante.* Ex his nunc modus exurgit ſuffoca-

focationem hypochondriacam curandi accuratior, humor enim auſterus, fons mali hujus cum egregiè corrigatur ſalibus volatilibus, maximam hic meretur commendationem ſpiritus ſalis armoniaci ut & fætidi illi ſpiritus tartari ſpir. C. C. tinctura caſtorei tam ſimplex qvàm compoſita, ſal volatile ſuccini, qvod ingredi etiã poteſt tincturam caſtorei compoſitam. Aſſa fœtida, galbanum & id genus alia. Ex compoſitis ne nihil videar dixiſſe, non invidebo tyronibus mixturã meam antyhyſtericam qvæ talis eſt.

R. Aq. fl. tiliæ, Unc. ij.
  è typh. C. C.
  hyſteric. Minſicht. an, Unc. j.
  Epileptic. Lang. Unc. ſ.
 ſpir. C. C. Drach. j.
M. f. l. a. d. S.

Mutter-Mixtur:

Poteſt aliàs cum fructu his aqvis addi tinctura caſtorei, qvæ tali in caſu in uſu mihi crebriori eſt. Atrophiæ qvoqve, qvam cum ♁ Sicc con-fundunt nonnulli, (uti facit *Barbette* prax. Medic. cap. 2. lib 3. rectius advertente Clariſs. *Deckero* in notis) & cognitio verior & curatio poteſt ex Sylvianis inventis innoteſcere. Si ſuccus pancreaticus juſtò parcior ad inteſtina propulſus lædat naturalem ac debitam

chyli ab alvinis fæcibus ſecretionem ſuffi-cientem; Idqve præcipuè, ſi alimenta vel ſic-ciora, vel fermentionis difficilioris exiſtant: Unde ſeqvitur totius corporis diminuta nutri-tio: Neqve verò negamus, poſſe aliunde ſuam qvoqve originem trahere atrophiam, aut ab obſtructione nimirum glandularum lactearum, dum enim chyli pars craſſior in glandulis la-cteis hærens non transcolatur, fit ut non niſi pars ſeroſior per ductum thoracicum perve-niat ad cor; aut à ſalivatione nimiâ detractô ſangvini vehiculo commodiore, uti jam antè innuimus ex lymphaticis Bartholinianis. Sin-gulare exemplum atrophiæ cum ſenſu partium meſenterii frigidiore occurrit qvondam Jenæ in ſtudioſo qvôdam Medicinæ. In qvo & nu-tritio lædebatur, & vultus præ ſe ferebat colo-rem pallidum ac chloroſi laborantibus ſimilli-mum. Meſenterii qvoqve regio, ſi tactu ex-plorares, erat vel mediâ æſtate frigidior. Con-ſultus jam tum Mœbius qvondam Clariſſimus obſtructas putavit eſſe venas lacteas; ego po-tius nunc fundamentis inſtructus Sylvianis or-tum referrem ad ductus pancreaticos occlu-ſos: Hinc frigoris qvoqve ſenſus à ſucco pan-creatico acidiore. Crebrior ipſi erat uſus tin-cturæ, qvæ tot efferebatur encomiis, Mœbia-

næ, ma-

næ, maximam partem, uti augurari licuit, ex ſpiritu ſalis ac tartari conſtantis; ſed fruſtraneus omnino. Ipſe tandem diſcesſi exitûs morbi ignarus. Solent qvidem tali in caſu commendatisſima eſſe medicamina modò dictam tincturam ingredientia, & inprimis ſalia volatilia. Sed magnâ opus eſt cautione, ne in texturæ gracilioris corporibus aut hecticam aut φθίσιν exitemus. Exempla ſunt obvia, ſi res exigeret, eorum, qvi tincturæ Mœbianæ, uſu præpoſtero hecticam ſibi contraxerunt. Utramq; hîc faciunt paginam aromatica. Exulent frigidiora ac incraſſantia. Ipſam poſſe melancholiam deberi ſucco pancreatico acidiori, ante biennium didici in fæminâ qvâdam Honeſtisſimâ, in qvâ tot jam ac tantos ipſe morbus fecerat progreſſus, ut multa cæperit ineptiora loqvi. Mali illius cauſam eſſe ſuccum acidiorem planum erat & collectu facile ex ſpontaneo vomitu ſucci acidioris crebriore. Qvocirca præmiſsâ venæſectione unum item & alterum vomitorium propinatum eſt, unde magnâ humoris acidioris copia projectâ feliciter reſtituta eſt vegeta adhuc ac ſatis ſana. Præterea ex halitibus acidis per lacteas venas ad cor & inde ad pulmones delatis tusſis ſicca, aut reſpiratio difficilis poteſt oriri, (Qvod qvi-

dem poſterius contingere etiam poteſt, ſi flatus hæreant in orificio ventriculi ſuperiore) Hoc didici in ſene Perilluſtri, cui ex flatuum copiâ acidorum tanta oriebatur reſpirandi difficultas, ut vix temporis momentum citra metum ſpiritus interclusi ſe extra lectum poſſet continere. Ipſe cauſam percontatus, ægri qvoqve ipſius Perilluſtris relatione & qverelâ de copiâ flatuum ex ore ſubinde prorumpentium, & acido oris ſapore in partem cognitionis adſcitâ, præter interna ſacculum ex aromaticis & carminativis ad flatus diſcutiendos directum ſingulariter, toti abdomini calidè curavi imponendum. Cujus uſu in tantum remiſit ſymptomatis ejusdem atrocitas, ut tribus pòſt diebus operam dederit venationi. Illud verò in me ipſo expertus ſum Lugduni Batavorum, ubi non ſemel oborta tuſſi ſiccior cum ructibus illis acidis: At flatibus largiter & ubertim diſcuſſis & ipſa diſcuſſa eſt feliciter. Me qvidem judice, halitus etiam illi acidiores ad partes dentium per arterias delati ibiqve hærentes dolorem maximè exqviſitum excitant: id inde mihi integrum fuit colligere, qvod in ægris dentium dolore intenſiore laborantibus, & acidum in ore ſentientibus in declinatione magno cum impetu flatus per aliqvot dies fuerint diſ-

cuſſi:

cuſſi: qvibus diſcuſſis dolor ceſſavit itidem. Hinc apprimè juvant nonnullos dolore dentium laborantes olea aromatica, ſi una item vel altera guttula cum goſſypio dentis cavitati indatur. Stranguriam à ſucco acido poſſe derivari, etiam nonnihil videtur conferre ad arcana ex ipſa praxi inqvirenda. Hinc qvamvis in hujusmodi ſymptomate dubius non nullis videatur tam ſalium volatilium qvàm armaticorum uſus; qvo ægrorum hujusmodi urina acrior ac càlidior aut frigidiora aut certè temperata uti ſirup. de Alth. Fernelii, ſucc. citr. portulac. & alia id genus expoſcat: Cauſæ tamē intuitu puta humoris acidioris, tam ſale volatili ac fixo prægnantia qvàm aromatica itemqve acidum illud concentrantia, ut oculi cancror. corall. limatura chalybis & ſimilia hîc maximè ſunt proficua: Cum qvod acidum corrigant; tum qvod pituitam concurrentem attenuent & incidant. Senibus in primis, in qvibus ob defectum ſpirituum animalium ſucci aliàs hujus aciditatem contempetantium, major reperitur haut raro ſucci acidioris copia, in caſu hujusmodi aromatica qvàm frigidiora conveniunt magis. Qvod experiri licuit in ſene qvôdam Perilluſtri, in qvo cum fruſtraneus foret in tali caſu cum frigidorum tum temperatio-

rum uſus, maximum & in aromaticis & in ſalibus tam fixis qvàm volatilibus qvæſitum eſt refugium, inprimis in Aqva ſerpilli cum vino deſtillatâ, in medicamentis item aut juſculis ex petroſelino ac Chærefolio paratis. A vitio ſucci pancreatici vario qvamvis alia qvoqve ſymptomata, ut ſyncopen, arthritidem, famem, alvi adſtrictionem & notæ ejusdem alia in proclivi ſit arceſſere, placet hoc unum tantum coronidis loco huic articulo ſubtexere, qvod ob humoris abundantiam acidioris majorem ſibi à peſte ſecuritatem melancholici poſſint polliceri, qvàm bilioſô ſangvine præditi: (uti ipſi qvoqve innuimus aliàs) qvod ſalis volatilitas acrioris, in qvo ad mentem recentiorum genius reſidet malignitatis, ſi non ſiſtatur prorſus, at certè mitigetur mirum in modum. Hinc pari ratione aut peſtis ipſius tempore, aut qvô febres malignæ conſveverunt graſſari, ſcorbutici & ipſi videntur præ cæteris ab hoc contagiô immunes, ſed cum non æqvè omnes hoc veluti privilegiô gaudeant ſcorbutici; oportet addiſcas ex tractatu Clariſs. *Thomæ Willis* de ſcorbuto Accuratisſimo, ſcorbuticos dari duum præcipuè generum; in qvorum aliis ſulphur aliqvantulum ſale; in aliis ſal ſulphure, excuſsô ſpiritus do-

miniô

minió potentius exiſtit. Hi qvidem poſſunt immunitatem veluti qvandam ſibi promittere à luis contagio peſtiferæ, (qvatenus pars ſalina in fluorem evecta acetoſam ſangvini imprimit δυσκρασίαν) illi verò non item. Ex hoc fonte manàt, qvod tantæ commendationis in peſte ſint acida, ut ſuccus citri, berber. rib. & imprimis acetum, qvod Sylvio Incomparabili tanto in pretio fuit tempore peſtis Amſtelodamenſis, ut ſingulis diebus, ad ictus peſtiferos retundendos, antè qvàm pedem efferret ædibus, integrum ejusdem cochlear ſumpſerit cum commodô ſanitatis ingenti. Hinc ſolent hujusmodi temporibus ex aceto & ſpeciebus alexipharmacis aceta concinnari Bezoartica, qvorum uſus exterior æqvè ac interior in contagio illo peſtifero propellendo uti freqvens eſt, ſic miræ cenſetur efficaciæ. Cujus etiam notæ eſt aqva prophylactica Amſtelodamenſis, ex radic. angelicæ, zedoariæ, petaſitidis, foliis rutæ, ſcabioſæ, meliſſæ, floribus calendulæ, Nuc. jugland. immatur. pomor. citr. recent. & aceto vini optimo conſtans cujusqve inventio debetur Domino D. *Sylvio* Dn. *Fr. Ferſchagen* aliisqve viris Celeberrimis. Sed ab uſu aceti abſtineant, qvi humoribus aliàs abundant acidis. Et tantum etiam de inventis Sylvianis.

Artic. IV. Cap. II. Sect. II.

Qvænam arcana ex inventis Williſianis.

QVanta lux affulgeat praxi Medicæ ex inventis Williſianis, docet vel ſola ejus de fermentatione doctrina, cujus uſus in arte ipsâ faciendâ inſignis eſt. Petere eandem ex ſcriptis illius licet, inprimis ex libello, de fermentatione itemqve de febribus. Ubi oſtendit, ſangvinem in craſi ſuâ ejusmodi particulis, & ſimili ferè ritu temperatis ac vina conſtare. Neqve verò non ob duas præcipuè cauſas, uti vinum, ita ſangvinem ægrotare, nempè vel qvoniam aliqvid heterogenei aut non miſcibile ipſi confunditur, vel liqvoris craſis pervertitur: Unde oritur fermentatio præternaturalis, ad diſtinctionem fermentationis naturalis, qvæ à Clariſs. *Willis* admittitur in ſtatu ſanitatis. Eſtqx nihil aliud qvàm motus ac agitatio particularum ſangvinis naturalis, ex ſpiritu aqvâ ſale & ſulphure conſtantis: Qvippe crasſiores agitantur à ſubtilioribus, ſubtiliores ne avolent, & evehantur nimis, vinculo veluti coërcentur crasſiorum; in actum autem deducuntur à cordis ipſius fermento. Si qvid autem fermenti alieni aut heterogenei acceſſerit maſſæ ſangvineæ, fit motus particularum inordinatus

hoc

hoc eſt, fermentatio præternaturalis; qvæ uti à variis rebus poteſt irritari; ſic varios excitat morbos. Qvatenus à liqvore nutritio irritatur fæculentiis referto, paroxyſmi naſcuntur febrium intermittentium. Periodorum verò diverſitas à deflexu ſangvinis à debitâ temperie vario vel in diatheſin acrem aut acidam aut auſteram; pro cujus diverſitate ſuccus nutritius vel citius vel tardius pervertitur in materiam fermenteſcendo aptam. Cum verò intermittentium indolem & periodorum diverſitatem in ſuperioribus oſtenderimus ex doctrinâ Sylvianâ, qvâ haut ſcio, an in febrium naturâ intermittentium explanandâ detur accuratior; ſepoſitis illis tantum hìc ad fermentationem tam in intermittentibus qvàm continuis attendemus (ne compendii limites videamur tranſilire) brevibus inqviſituri, qvænam utilitas Practica ſeu arcana, uti qvidem in hoc libello placuit appellare, inde poſſint redundare. In fermentatione igitur illâ præternaturali qvò corpora illa heterogenea, ſive intus latitantia ſive accedentia foris à nativa ſangvinis craſi deflectunt magis, eò pugna eſt fortior, fermentatio item vehementior. Qvoqvè majoris efficaciæ ac operationis fuerint citioris ſive corpuſcula ſive atomi heterogeneæ, eò citiorem

expo-

expoſcunt amolitionem. Cum in malignis vel per unius horæ ſpatium plus noxæ posſit inferri, qvàm in chronicis per integros menſes. Fermentum autem illud malignum, aut qvod in cauſa eſt citisſimæ operationis, & ad deſtructionem totius tendentis fermentationis, qvamvis non ſit in acri qvatenus tali ponendum; haut ire tamen licet inficias; Salſo-acria, ſi reſtagnent diutius, reddita in dies acriora, facilè genium induere malignitatis. Neqve verò tantum malignum illud in continuis, ſed & in intermittentibus qværendum eſt interdum; cujus jam tum ſymptomatum atrocitas index eſt. Porro pro acceſſu corpuſculorum forinſecus adventantium variô & ipſæ non unius indolis ſunt febres, aliæ qvidem mitiores, aliæ periculoſiores. Etenim cum qvotannis ſinu telluris, qvæ hyemis inclementiâ tenebatur occluſa, latiùs expansô & aperto recens, atomi varii generis ſalinæ, ſulphureæ, nitroſæ, & notæ alterius vel magis vel minus à craſi noſtra disſidentes evehantur in aërem; fit ſanè, ut aëris attractio in aliis atq; aliis febrim excitet, eòqvè corripiat plures, qvò vis fermenti peregrini & fortior fuerit, & à craſi noſtrâ alienior: Hinc oriuntur febres epidemiæ ab aëris vitio contractæ & pro vitio atomorum in aëre hærentium

ſentium vario diverſæ : Mitiores qvidem ac genii benignioris, ſi malignitatis expertes fuerint atomi : Vehementiores contrà ac pravi moris, ſi contraria minentur atomi illæ in aëre latitantes. Hinc fit, qvod febres interdum Epidemiæ, nullis indutæ ſint ſymptomatibus periculoſis, multò minus lethalibus. Solent verò ſingulis annis aliô atqve aliô ſymptomatum obtentu obrepere Epidemiæ, qvæ vulgo novi morbi nomine veniunt. Præprimis autem ad praxin ipſam & commodius & felicius exercendam notari in Epidemiis meretur ; qvod interdum ex continuâ & intermittente ſint conflatæ. Cujus genii & moris erat, qvæ ante biennium & qvod excurrit, hîc Hatterslebiæ, & in locis Holſatiæ vicinis graſſabatur, (cujus ſupra qvoqve facta eſt mentio) In noſtris qvidem locis mitior, ita ut cum paucorum nteritu, qvi uſi in tempore ſunt medentium operâ, fuerit conjuncta. In aliis verò locis crudelior, ut multi fuerint eâdem extincti. Ægros calor affligebat continuus, cum palpitatione cordis, cum tuſſi crebriore ac vehementiore, ſiti intensâ admodum, pulſu celerore juxtà ac debiliore. Urina itidem rubicunda oppidò erat cum ſedimento copioſo ac dolore lumbari ſatis exqviſito. Sed tertiô

qvô-

qvòqve die & calor & frigus ſuas mutabant vices. Unde hanc febrim catarrhalem Epidemiam ex continuâ & intermittente conſtantem jure licet appellare. Intermittentis etenim præter frigoris ac caloris vicisſitudinem, tertio qvôqve die recurrentium index erat dolor lumbaris à ſucci pancreatici vitio ex mente Sylvianâ dependens. Sed cum brevitatis & compendii ratio ſit habenda, brevibus nunc, qvænam arcana ex curatione febrium inprimis continuarum ac malignarum ſint comparanda. Qvod intermittentes qvidem attinet, cum aliqvantò prolixior jam tum fuerim in explicatione inventorum Sylvianorum, verbo tantum hîc & obiter placet tangere, qvænam hîc utilitas practica, ad fontem ſpectans diæteticum ſit arceſſenda: Pòſt fiat acceſſus ad malignas. Multa hîc ſuppetunt etiam vulgo nota, ſed cognitionis intuitu accuratioris vicem hîc obtinebunt arcanorum. Cum enim febrium paroxysmi intermittentium à ſucci nutritii fæculentiis deriventur Clariſs. *Thomæ Willis*, patet qvantum vel auctio ciborum vel abſtinentia hinc imminuere, illinc augere qveat paroxyſmum febrilem. Unde lucem accipit etiam vulgi illud, qvod febres interdum curentur inediâ. Hinc arcani inſtar ſint, qvæ Magno

Hippo-

Hippocrati efferuntur lib. de humor. t. 10. *In acceſſionibus*, ait, (interprete Focœſio) *qvæ per circuitus repetunt, nulla alimenta offerenda neqve adurgenda, ſed ante judicationes de his, qvæ apponuntur, auferendum.* Qvò facit ejusdem aphorismus 19. lib. 1. *Qvibus per circuitus acceſſiones contingunt nihil dato neqve cogito, ſed de ciborum acceſſione ante judicationes detrahito.* Neqve verò non ad diætam febrium intermittentium videtur apprimè hîc convenire aphorismus ejusdem decimus lib. 2. ubi ille; *impura*, ait, *corpora, qvò plus nutrias, eò magis lædas.* Qvin imò diætæ erroribus aut potius inæqvalitati deberi ad ductum qvidem Williſianum videtur vel antepoſitio hujusmodi febrium, uti vocant, vel poſtpoſitio. Ex qvâ qvidem utrâqve neq; dextri neqve ſiniſtri qvicqvam augurii colligi certius poſſe, non una me docuit obſervatio. Hæc lux qvidem ex inventis Williſianis accedit fonti diætetico febrium intermittentium, ſi doſin ſpectes aut qvantitatem alimentorum; Nec minor tamen, ſi qvalitatem attendas; qvod multi tamen non æqvè putant obſervandum, rati pelli interdum febres, ſi notæ etiam deterioris cibo utatur æger, modò ſit ad ipſius palatum. Neq; non improbandi ejusdem paradoxi laudant experientias hujus vel illius, qvi vel eſu haren-

harengi ſaliti, vel lardi, aut notæ ſeqvioris cibi alterius, qvod ægri fuerit ſatis deſiderio factum, à morbo ſint feliciter recreati. Videtur qvoqve ipſis favere aphoriſmus 38. lib. 2. *Hippocratis*, ubi ille: *Cibus & potus paulò pejor, ſuavior tamen, melioribus qvidem, ſed minus gratis antepondendus eſt.* & aphoriſmus ejusdem 50. lib. 2. *Qvæ ex longô temporis intervallo aſſveta ſunt, qvamvis deteriora, inſvetis minus moleſta eſſe ſolent.* Hinc ipſis Medicorum animis nonnullorum eadem inſidet opinio, febricitantium appetitui in uſu qvorumvis alimentorum indulgendum. Memini me obſervare qvondam ſingulari cum admiratione, Doctorem qvendam Medicinæ uvarum eſum conceſſiſſe largiorem febricitanti. At verò qvantum noxæ febricitantibus poſſit ex errore diætæ, ac notæ ſeqvioris alimentis adferri; non ex inventis Williſianis tantum ac Sylvianis liqvet, ſed ex ipſo etiam uſu qvotidiano. Si bile E. g. abundaverit febricitans, & freqventius uteretur cibis bilem copioſius progignentibus, ad materiam febrilem adeoqve ſymptomatum vehementiam non acceſſio tantum fieri; ſed verti etiam ſæpius poteſt intermittens in continuam ardentem: Aut ſi febricitanti phlegmatico ciborum pituitam generantium uſus fuerit crebrior,

brior, qvotidiana in tertianam aut qvartanam, aut ſimplex in duplicem aut triplicem poterit mutari. Qvod autem experientias attinet & loca antè ex Hippocrate laudata, poſſunt explanatá rectius, & cum grano ſalis, qvod dicitur, accepta, arcani eſſe loco artis Medicæ tyronibus: Experientiæ aliæ hîc ſunt fictitiæ, aliæ veræ. Fictitiæ ſunt, ſi vel uſu medicamentorum antecedentium, aut naturæ ipſius viribus, ipſo jam ſponte ad declinationem vergente morbo, appetitu qvoqve ipſo jam pedetentim redeunte, citra noxam comedant robuſtiores notæ ſeqvioris cibos, inprimis ſi aſſveti his fuerint jam antè in ſtatu ſanitatis. Malè igitur, qvod aut medicamentis erat præviis, aut robori naturæ imputandum, jam tum alimento adſcribitur deteriori. Veras ſi conſulueris experientias, certi dantur modi, cautelæ itidem certæ, qvibus obſervatis cum fructu poteſt cibus etiam ſeqvior concedi febricitantibus interdum à Medicis Cordatioribus, at parcius tamen, ut medicamenti potius loco ſit, qvàm alimenti. Advertendi autem ſunt qvatuor ſive modi ſive cautelæ. Primò qvidem qvod alius cibus detur ægris deterior, cui vis tamen inſit Medica: Deinde qvod alius & deterior ſit & morbo planè adverſus: Tum qvod vulgo qvi-

dem alius in ægris deterior habitus, huic tamen aut illi ægro ſit ſalutaris: Deniqve qvod ratio ſit hîc conſvetudinis habenda. Primi illius ordinis alimenta, ſi uſus fuerint parcioris, ipſis interdum ægris remedio ſunt; uti haringi eſus qvartanario Batavo, penes qvem jam ſalus ferè conclamata erat, (qvam qvidem hiſtoriam ex lib. de febrib. cap. 118. Excellentisſimi *Rolfincii* recenſui in comm. meo de ſimpl. facult. cognoſcend, Artic. 3. ſect. 4.) brasſicæ capitatæ rubræ hydropico: Qvod pari ratione etiam de aliis dicendum eſt. Alter ille cibus & notæ ſeqvioris, & morbo planè infenſus, minimâ tantum doſi (ſi avide appetat æger) hoc qvidem fine, ut & appetitus reſtauretur, & hoc adeo ipsô ad ciborum uſum ſalubrium æger excitetur magis, exhibendus eſt. Tertius non deterior ſimpliciter audit, ſed hujus tantum aut illius ægri intuitu; ſic acetum maximè melancholicis, qvi humoribus acidis abundant obeſt; bilioſis verò prodeſt inſigniter. Conſvetudinis deniqve magna vis eſt in fonte diætetico: Hinc qvamvis vini uſus noxius ſit arthritico, ſi huic tamen aſſveverit multis úsqve ab annis; non uſu ſtatim omni ejusdem, ne periculum minetur mutatio ſubitanea, interdicendum: ſed aliqvid detrahendum eſt paulatim, aut vinum

præ-

præſcribendum Medicatum. Qvibus præmiſſis & experientiis fit, qvæ antè oggerebantur, ſatis; & locis Hippocraticis, qvibus hâc ipsâ explicatione lucem datur aliqvam fænerari. Nunc ad febres malignas oportet progrediamur, in qvarum curatione omnino eſt, qvod veteranis juxtà ac tyronibus ſatis qveat negotii faceſſere. Multa tamen hìc controverſa, aut dubia certè, me qvidem judice ſat commodè poſſunt ex doctrinâ fermentationis Williſianâ conſopiri. De evacuantibus in febribus malignis haut exigua inter ipſos Medicos agitatur controverſia. Qvorum alii exceſſu, alii defectu peccant. Exceſſu qvidem, qvi in febribus malignis uſum admittunt purgantium ſtrictius dictorum, defectu, qvi clyſterum in his damnant. Priores & ratio & experientia refutat. Hæc docuit ſæpius, homines febre vulgari non usqve adeò graviter laborantes, ex uſu dicam an abuſu purgantium fortiorum in febrem malignam ſuiqve haut expertem periculi incidiſſe. Ita memini, antè octo circiter annos ſcholaſticum qvendam nunc fautorem & amicum, cùm pejus aliqvanto & ad modum febriculæ haberet Lubecæ, ex purgantis uſu fortioris à pharmacopolæ miniſtro citra judicium forteàn ſuppeditati in febrim incidiſſe malignam ad-

 modum

modum periculoſam. Unde Divino Numine Propitio, arte & induſtriâ Domini D. *Acedalii* qvondam Celeberrimi feliciter ſibi redditus ipſi eſt. Illam qvoqve ex inventis Williſianis in proclivi eſt mutuari. Qvò enim corpuſcula illa fermentativa à nativa ſangvinis temperie deflectunt magis, eò vitandus potius eſt uſus purgantium. Cum qvod in ipſis purgantibus ad mentem & calculum recentiorum, detur fermentatio, & ſic augeretur potius qvàm mitigaretur vis morbi: Tum qvod fermento illi peregrino ſeu corpuſculis planè heterogeneis, qvorum vis tota reſidet in tenui ac volatili ſubſtantiâ acriori, non purgantia ſint, ſed diaphoretica deſtinata. Qvid? qvod obviam ire ſit nefas ductui naturæ ipſius, de corpuſculis illis expellendis maximè laborantis, & cum morbo egregiè colluctantis. Qvod porro attinet clyſteres, juſtam incurrunt cenſuram, qvi hos damnant in morbis malignis; qvorum uſum hîc ſalutarem tot Medicorum experimenta Illuſtrium, imò tot annorum uſus confirmat. Certè, ut ingenuè fatear, nunqvam me, Deo ſint laudes, fruſtrati clyſteres ſunt qvoad qvidem mihi licuerit artem Medicam facere. In febre illa Epidemiâ ſuæqve malignitatis non experte, cujus facta jam antè mentio eſt, qvæ in his locis ante biennium graſſabatur,

tur , præter tincturam noſtram Bezoarticam, qvam pro re natâ jam tum in pharmacopolio Haderslebienſi ex miſtura ſimplici, & radice ſcorzoneræ curavi concinnandam , ſingulariter ægris noſtris profuerunt enemata , qvod materiæ vitioſæ ſaburram in primis viis reſtagnantem, qvam poſſe ad fermentationē maſſæ totius ſangvineæ augendam conferre, tot calculo conſtat Practicorum, blandè & citra moleſtiam educerent. In Epidemia itidem illâ, qvæ ante qvadriennium in his & vicinis Holſatiæ locis cum nonnullorum interitu graſſabatur, uſum Enematum aſyli inſtar ſacri fuiſſe præter meam qvalemcunqve experientiam teſtem, laudo Dn. D. *Clauſenium* Practicum Kilonienſem ac Archiatrum Schleswigo-Holſatum Inſignem, qvi clyſmatum beneficio in his morbis magnâ ſe fatetur præſtitiſſe. Miror igitur, in ipſo Medicorum cenſu reperiri, & non infimæ qvidem claſſis, qvi in morbis malignis uſum damnant clyſterum, nec magni putant referre, utrum alvus etiam per qvinqve dies & amplius in morbis hujusmodi fuerit occluſa. Laudant experientiam illorum, qvi tali morbo laborantes, ſtatim ab ipſo clyſteris uſu interierunt. Sed videntur illi minus diſtingvere inter τὸ fieri per ſe & per accidens. Forte morbi ipſius vehemen-

mentiâ hic vel ille interiit, qvod malè fuit Clyſteribus imputatum. Aut fuit fortean juſto crebrior eorundem uſus; aut purgantia ipſis addita ſunt largiore qvantitate fortiora. Nam & uſum clyſmatum & compoſitionem moderandam eſſe pro gradu & varietate malignitatis in aprico eſt. Qvò enim intenſior & atrocior fuerit malignitas, eò oportet ut clyſteres ſint benignores (ut ſcilicet purgantia addi aliàs ſolita aut planè omittantur aut certè parciore manu addantur prout major vel minor fuerit malignitas) & uſus ſit eorundem parcior. De venæ ſectione in febribus malignis res itidem controverſa lucem poteſt ab inventis Williſianis accipere. Sunt, qvi planè non admittunt uſum venæſectionis in febribus malignis: Alii citra venæſectionem nullas autumant poſſe curari. Media hìc via omnium eſt tutiſſima. Cum in febribus adſit fermentatio, in plethoricis nihil videtur venæſectione convenientius, ut & ventiletur ſangvis & natura ſarcinâ ſibi moleſtâ liberata aptior habiliorqve reddatur ad reſiſtendum fermento peregrino. Qvò autem fermentum illud deflectit magis à nativa ægrorum craſi, eò parciore manu detrahendus eſt ſangvis; ſi prorſus igitur heterogeneum illud fuerit, & debitæ ſangvinis craſi op-

ſi oppidò adverſum, ſatius eſt eam omittere, qvàm cum ægri detrimento adminiſtrare. Poteſt autem deflexus ille à nativâ temperie, ex pulſus nimiâ debilitate ac urinâ à ſtatu naturali nimium qvantum degenerante, aut utrôqve naturali ſimillimo apparere. Qvamvis pulſus debilitas fallere hîc qveat juniores, cum haut rarò nimia ſangvinis in vaſis contenti copia in cauſa ſit pulſus debilioris. Alia igitur ſigna conferenda ſunt, qvod non æqvè fugiet artificem morborum peritiorem. His nunc prælibatis conſtare planius poteſt, qvomodo *Johannes Michael* Profeſſor qvondam Lipſienſium Celeberrimus intelligendus veniat, qvando in collegio qvôdam practico manuſcripto venæſectionem damnat in febre petechiali, qvod in petechiali illâ epidemiâ, qvæ olim graſſata eſt Lipſiæ, qvibus vena fuit ſecta, omnes interierint. Ipſo igitur malignitatis gradu metienda eſt venæſectio vel largior vel parcior, vel omittenda prorſus. Uſum qvoqve alexipharmacorum legitimum decernit fermentatio Williſiana. Cum enim in febribus malignis fermentatio excitetur à corpuſculis totâ ſubſtantiâ temperamento noſtro infenſis, nec calida nimis vocanda in uſum ſunt, nec frigida nimis; cum hæc ad interiora repellant cor-

puſcula illa venata: Illa verò agitent irritentqve magis ad fermentationem vehementiorem. Hanc difficultatem videtur etiam attendiſſe *Lazarus Riverius*, hinc prax. Medic. lib. XVII. cap. 1. in qvatuor claſſes pro temporum, qvibus hæ gaudent febres, diverſitate dividit alexipharmaca. *Prima*, inqvit, *continebit ea, qvæ præter ſpecificam qvalitatem, qvâ veneni reſiſtunt, frigida ſunt & ſicca & modicè adſtringunt, ſicqve putredinem cohibent, cor firmant & corroborant, venenum coercent, ne tam facilè in totum corpus diffundatur, partium diſſolutioni compreßione qvâdam obſiſtunt. Secunda complectitur ea, qvæ frigiditate ſuâ & ſubſtantiæ tenuitate putredini reſiſtunt, & malignitatem coercent. Tertia comprehendet calida & diaphoretica, qvæ venenatos humores & vapores à corde expellunt, eosq; à centro ad circumferentiam educunt. Qvarta deniq; continebit ea, qvæ ſpecificâ vi ſine ullo primarum qvalitatū exceſſu venenatā qvalitatem oppugnant. Primæ, ſecundæ & qvartæ claſſis remedia in principio & augmento magis cōveniunt. Tertiæ verò in ſtatu, & declinatione.* Hæc ille. Verum licet hæc commodius demonſtrare ex inventis Williſianis. Cum varianda omnino ſint hæc medicamina pro majore ac minore fermentationis vehementiâ. Hinc ab ipſo ſtatim initiò harum febrium pergere

gere interdum licet ad calida illa & diaphoretica terriæ claſſis. Qvæ nunc paulò tradenda plenius ex doctrinâ fermentationis Williſiana, certis obſervatis cautelis: Si ſatis vehementior fuerit ab initio qvidem morbi ipſa fermentatio cum reliqvorum gravitate ſymptomatum, pulſu tamen pro re natâ qvidem ſatis valido, uſus alexipharmacorum qvartæ claſſis, qvæ neqve fermentationem magis irritant, neqve malignitatem reducunt ad interiora, ſed temperie ſuâ qvâ nullum referunt exceſſum, partibusqve ſuis craſſioribus omnino faciunt ad orgasmum humorum qvodammodo conſopiendum, ne nimis avolent ſpirituoſæ ac volatiles ſangvinis particulæ, neqve non ad corporis ambitum expellunt heterogenea. Qvibus tutò admiſceri poſſunt amariuſcula, ut Cichorium, abſinthium, carduus benedictus, & alia id genus, qvæ non leni tantum ſudore, qvicqvid moleſtum eſt, evocant ad exteriora, ſed & maſſam ſangvineam, cum præternaturali illâ & oppidò vehementi fermentatione particulis multis ſpirituoſis defraudetur, ſale ſuo ceu novo veluti fermento imprægnant. Sin autem ab initio tanta vis fuerit fermentationis, ut pulſus deprehendatur debilior urina intensè rubicunda, aut utraqve naturali ſimilia, cum ſiti pæne inextin-

gvibili aut nullâ prorſus, aliisqve ſymptomatibus gravioribus: præter medicamina modò recenſita etiam tertiæ clasſis, uti inprimis ſcordium, valeriana, angelica, dictamnus carduus benedictus theriaca, aqva theriacalis, mithridatium & alia ejusdem generis in uſum trahenda ſunt. Qvæ res explicari meretur verbis ipſius Clariſs. Willis, cui pulſus debilitas derivatur à congelatione qvâdam. *Corpuſcula* enim, ait, *illa heterogenea totam pervadunt ſangvinis masſam, eamqve inſigniter turgeſcere, & ebullire, & poſt aliqvalem efferveſcentiam in partes ſecedere ac coagulari faciunt. Scilicet diſperſa veneni ſemina cruoris mixtionem ſolvunt, ſpiritus puriores ſtatim profligant, deinde craſſiores ejus particulas ſibi conſciſcunt & adhæſu ſuo veluti congelatas reddunt.* Qvæ portiones congelatæ niſi in tempore ad exteriorem corporis habitum propellantur, tota corrumpitur maſſa ſangvinea. Hinc opus eſt expulſivis fortioribus, (qvorum facta jam antè eſt mentio) & vi penetrandi inſigniore præditis, qvalia inprimis ſunt ſalia volatilia, ut ſal volatile C.C. ſuccini, viperinum ſangvinis cervini, urinæ, ſpiritus C. C. ſpiritus ſalis armoniaci, miſtura ſimplex, tinctura Bezoartica *Johannis Michaëlis*, *Rolfincii* & notæ ejusdem alia. Qvæ jure etiam potiori jam tum

viden-

videntur adhibenda, ſi ſtatim ab initio, qvando nulla expectanda criſis eſt, petechiæ apparent. Inſignem enim arguunt malignitatem ſeu fermentationem tam citioris operationis, ut primô ſtatim impetu portiones ſangvinis congelentur, qvas non expellit jam tum natura fortior, ſed nimia argvitur malignitas, cujus comes interdum ob ſalis acrimoniam eſt hæmorrhagia. Exulent in tali caſu præcipitantia ſeu figentia, cum eò jam ſponte tendat ſangvis. Ante biennium in his locis corripiebatur vir primarius febre tam oppidò malignâ, ut intra triduum extingveretur. Ægri urina inſtar urinæ ſanorum apparebat, nec ulla unqvam caloris præternaturalis exhibebat veſtigia: Sangvis è venâ extractus ipſo ſtatim exitu colorem referebat cæruleum. Ubi horam unam item atqve alteram ſtetiſſet, id qvod ſupernatabat ſeri, & colore & conſiſtentiâ exactè exprimebat lac albicans. Qvod non aliunde qvàm à fermentatione ſangvinis nimîâ ad congelationem paulatim tendentis puto arceſſendum. Ex his nunc patet tyronibus, qvantus ſit delectus habendus alexipharmacorum, & qvomodo vel ipſo temporis momento Medicinæ ignarus ſolidioris, tantum errorem poſſit patrare, ut vis morbi nullam deinceps manum admit-

admittat medentis. Qvanta item opus ſit cautione, qvantâ prudentiâ ac judicio medentium in uſu laudani opiati ad effervefcentiam in febribus malignis compeſcendam. Et qvamvis verum omnino ſit, uti ſcitè monet *Lazarus Riverius* l. c., medicamentorum hujusmodi variationem pro ætate, ſexu, temperamento, variô malignitatis gradu ex Medici judicio & prudentiâ totam dependere, nec certis regulis poſſe determinari: Placuit tamen boni amore publici in gratiam tyronum certas veluti cautelas hîc attexere.

Licet nunc porro ex pathologiâ fermentationis Williſianâ qvam commodisſimè explicare, qvomodo tempore tam autumnali qvàm hyemali, aut ventis obortis frigidioribus, atomi in aëre hærentes non febrem tantum, ſed & pleuritidem, catarrhum, tusſim, ſcorbutum, aliosqve morbos posſint progignere. Qvippe cum in motu particularum ſangvinis ac agitatione naturali nonnulla decidant corpuſcula inutilia, & à corpore vel per ſudorem vel alio modo ſegreganda, fit ſanè ut poris à frigore nimio occluſis retenta eadem diutius alieni naturam induant fermenti, unde jam pro varietate humoris peccantis varii naſcuntur morbi; Prout in fermentatione illâ præternaturali humores

mores ad has vel illas partes fuerint delati: Unde ipſa pleuritis (qvæ eò naſcitur citius, qvò hyems fuerit rigidior) catarrhus, tuſſis, ſcorbutus, & id genus ſimilia, de ſingulis ſigillatim, ſed paucisſimis, qvantum qvidem ad rhombum. Pleuritidis cauſa ex mente recentiorum eſt humor acris acidus (qvi facillimè poteſt ad fermentationem irritari) cum ſangvine arterioſo ſe præternaturaliter effundens in membranam pleuram dictã, vel datur obſtructio arteriarũ per pleuram pereptantium, unde ſangvinis circulatio impeditur, reſtagnant humores, & reſtagnatione redditi acriores effervefcunt; hinc membranam coſtas ſuccingentem diſtendunt, diſtenſionem excipit reſpiratio difficilis dolor item punctorius, ac lancinans. Qvemadmodum autem acre acidum in pleuritide peccat, ita etiam in aliis pectoris affectibus, inprimis in catarrho & tusſi inveterata. Qvibus fermentationem qvoqve ineſſe, luculento nobis indicio eſt, calor ac ſitis præternaturalis, tractio in toto corpore, vomitus interdum ac capitis dolor exqviſitor, & alia, qvæ comitari conſveverunt ſymptomata. Hujusmodi catarrhus bis ferme ſolet me corripere qvotannis; alio qvidem tempore mitius, aliô vehementius; ſed extra unius diei ſpatium vix ſuos protendere limites, & ſudore, ac urinæ mictione ſa-

ne ſatis copioſâ ſponte ſuâ terminari : Cum Lugduni Batavorum agerem ante ſexennium circiter, catarrhus me invadebat tam acido-acris, ut cum aceto poſſet acerrimo certare : Capitis dolor aderat exqviſitiſſimus, calor item præternaturalis cum vomitu moleſtisſimo, ut vel tyroni copia daretur colligendi, ingentem ibi reperiri agitationem adeoqve fermentationem humorum. In ſcorbuto etiam acido-acre reperiri, tot argumento ſunt ſymptomata, ut ſapor oris acido-acris, corroſio gingivarum, hæmorrhagia, dolores lancinantes & contorqventes veluti, & ſimilia id genus. Ut autem pòſt pateant plenius, qvæ ad praxin redundent, arcana, ad ductum Williſianum adumbranda brevibus eſt ſcorbuti indoles. Qvemadmodum ſcitè inter alia vini dyſcraſia duplex advertitur Clariſs. *Willis*; ita & ſangvinis, unde duplex ipſi naſcitur ſcorbuti ſpecies. *De vinis autem* (ait vir Clarisſimus) *vulgaris obſervatio eſt, qvod præterqvam qvod in acetum & vappam degenerant, eadem aliqvando à ſpiritu depreſſo atqve à ſulphure & ſale unà exaltatis aut rancida aut pendula ſive mucilaginoſa evadant. In utrâqve mutatione ſpiritu ſubjugatô particulæ ſulphureæ & ſalinæ ſimul aſſociatæ cæteris elementis præpollent, atqve ad indolem ſuam liqvoris craſin deflectunt.*

Atta-

Attamen non eôdem prorſus modô in utrôqve res agitur. Qvippe in priore vini dyſcraſiâ ſulphuris aliqvantulum ſale, ac in poſteriore ſal ſulphure potius exiſtit. Qvin & alterum potentius factum, excuſsô ſpiritus dominiô alterum conſciſcit, & ad debitum tenorem attolit. Par qvoqve ratio ſcorbuti eſt. Cum autem degeneres illæ particulæ acri-volatiles aut per urinam aut per ſudorem ſui exigant amolitionem, maximè poteſt irritari ac ingraveſcere ſcorbutus, ſi pori à frigore nimis ſint occluſi, aut ſudor reprimatur ſubitò. Cujusmodi Exempla in praxi mihi ſunt oblata. Annus ipſe nunc agitur, cum vir loci hujus primarius cacochymicus & ſcorbuto inprimis laborans in itinere corriperetur ſudore largisſimo: Cum autem ob itineris moleſtiam non liceret æqvè ac domi, corporis ſui ac valetudinis curam gerere, repreſſus ſubito eſt ſudor cum inſigni ſanitatis incommodô. Qvippe poſt biduum invaſit eundem febris ſcorbutica maligna cum ingenti virium debilitate & vomitu inani crebriore admodum moleſto, ſiti intenſisſimâ, pulſu debiliore, urinâ oppidò rubicundâ, vigiliis perpetuis, appetitu prorſus proſtrato ita ut ancipitem tantum eventum poſſem divinare. Sed uſu refrigerantium ac bezoarticorum intra qvatuordecim dierum ſpatium

febris

febris qvidem vehementia ceſſavit, ſed laſſitudo ac dolor membrorum omnium non item. A qvibus tamen ipſis pòſt feliciter uſu antiſcorbuticorum Divini gratiâ Numinis liberatus eſt. Nunc ad arcana Practica hîc inqvirenda. Occurrunt autem hîc alia ad fontem Chirurgicum alia ad pharmaceuticum ſpectantia. In fonte chirurgico de venæſectione in pleuritide (de cujus curatione primô loco eſt agendum) magnô cum fervore agitantur controverſiæ: Sed obtinet apud pleroſqve, qvod in omni pleuritide non proficua tantum, ſed & neceſſaria ſit venæſectio: Niſi qvod unus item & alter recentiorum, citra venæſectionem pleuritides & curatas eſſe & curari facilius ac felicius poſſe, non dubitârit affirmare. Me qvidem judice, ex pathologiâ fermentationis Williſianâ hæc poteſt lis decidi hunc in modum. Qvod in plethoricis omnino conveniens imò neceſſaria ſit inciſio venæ & ipſius intuitu fermentationis, dum enim ventilatur ſangvis, ipſa veluti cohiberi aut mitigari certè qvodammodo videtur fermentatio, uti diſcas præprimis licet in fermentatione ſcorbuticâ. Sed ſi in cauſa ſit inprimis, & præcedat obſtructio arteriarum pleuram perreptantium, ægerqve abundaverit pituitâ; tam horum qvàm humoris acido-

actis

acris qvà talium intuitu, tantum abeſt, ut in omnibus pleuriticis neceſſaria ſit venæ inciſio, ut potius videatur in phlegmaticis nonnullis diſſvadenda. Unde & mihi non una pleuritis in his qvoqve locis, Propitio Numine, curata feliciter eſt citra venæ-ſectionem. In fonte pharmaceutico, ad qvem nunc fit acceſſus, haut ſcio, an in pleuritide, (cum & humor acido-acris peccet, & fermentatio) præter alvum lenientia proficua magis dentur medicamina, qvàm diaphoretica pariter ac diuretica: Cum illa mediante ſudore corpuſcula acria ac fermentativa in ſero latitantia ad corporis ambitum propellant: Hæc verò acido-acrem illam materiam ipſum fermentationis fomentum per urinam educant copioſius. Hinc recentioribus in pleuritide ſummis efferuntur laudibus ſalia tam fixa qvàm volatilia (uti ſal card. bened. Fumar. volatil. C. C. urin. armoniac. &c.) hîc non celebrata veteribus: Neqve non acidum illud acre concentrantia, qvalia ſunt oculi cancrorum raſura dentis apri, mandibula ac crux lucii &c. (veteribus qvidem & ipſis tantopere hîc deprædicata, ſed ſiniſtrè uſurpata interdum) aut virtute ſingulari fermentationem illam ſiſtentia, ut laudanum opiatum aqva theriacalis, & alia ejusdem commatis: At lau-

 danum

danum opiatum, cùm ſit narcoticum, nonniſi parvâ admodum doſi addendum eſt. Ad exemplum Magni illius *Sylvii*, cujus miſtura pectoralis ex Aq. hyſſopi, Fæniculi; Aceto ſtillatitio, oculis cancrorum, ſirupo capilli veneris, & uno tantum grano, ni admodum fallor, laudani opiati, uti in aliis pectoris affectibus, ita & in pleuritide egregia promeretur elogia: uti in me ipſo ſum edoctus Lugduni Batavorum, non pleuritide qvidem, ſed catarrho acriore, cujus paulò antè facta nobis eſt mentio, laborans. Qvippe uſu ejusdem mixturæ & fluxus materiæ acrioris & vomitus inhibitus eſt ſtatim; imò reliqva paulatim remiſerunt ſymptomata, ut poſtera die prodierim in publicum. Ad eundem ferme modum concinnata eſt, & in pleuritide oppidò commendabilis miſtura antipleuritica Clariſs. Domini *Deckeri* in notis ad prax. Barbettian. lib. 3. cap. 1. ℞. Aq. Hyſſop. Unc. ij. Fænic. Unc. j. Theriacal. ſimpl. Prophylactic. an. Unc. ſ. ocul. cancr. pulv. Bezoartic. miner. an. Scrup. j. ſpir. Salis armoniac. gtt. XV. laudan. opiat. gr. ij. ſyr. è ſucc. fl. papav. erratic. expreſs. Unc. j. M. Neqve non maximè merentur commendari ſpecies *Minſichti* antipleuriticæ p. 128. in armam. Medico-chymic. deſcriptæ; ſintqve adeò arcani loco tyronibus, apertis

apertis nunc recentiorum inventis. Quæ dicta nobis ſunt de curatione pleuritidis ad ductum directâ recentiorum, ea repetenda omnino ſunt in catarrho ac tusſi, inprimis inveterata in qvibus etiam ipſis ſæpius, & acido-acre ac fermentatio ineſt, qvod patere in illâ poteſt, qvæ ex tenui materiâ nata eſt ac acri. Uti in pleuritide bene audit venæ-ſectio; ita & hîc in plethoricis inſtar incantamenti juvat interdum catarrhum ac tusſim moleſtisſimam. Nefas eſt ſilentio præterire hiſtoriam, qvæ Jenæ mihi in praxi obtigit ſenis cujusdam ſeptuagenario majoris. Hic catarrho cum tusſi ita affligebatur miſerè; viribus qvoqve jam ipſis pæne exhauſtis; ut propius videretur à fati limine ipſius abeſſe. Ipſe vocatus præſcribo expectorantia tam interna qvàm externa: Cumqve alvus ſuo haut faceret officio ſatis; leniens ex cremoris Tartari Scrup. j. cum duobus granis elæoſacchari fæniculi totidemqve reſinæ Gialapp. unde blandè ac citra moleſtiam qvater fuit alvus ſoluta. Tantum verò aberat, ut vis morbi ac ſymptomatum remitteret, ut indies Acheronti propius ſenex videretur imminere. Pro illâ autem ætate ſic ſatis calidus cum venæſectioni aſſveviſſet ſolenniori, me de eâdem qvoqve conſuluit, qvam penitus diſſvaſi in tantâ ætate

primâ qvidem fronte: Sed & ægro urgente conſvetudinem, & expenſis mecum circumſtantiis omnibus conceſſi tandem venæſectionem, ſed pro ætatis ratione oppidò parcam, at tanto cum fructu, ut paucis diebus interjectis cum per famulum inqvirerem; an ſatis ceſſiſſet æger mihi jam tum viſus conclamatus; id acceperim reſponſi, lectum eundem deſeruiſſe, ſibiqve videri jam ipſi pæne redditum, viribus paulatim recollectis. De diureticis & diaphoreticis qvod porro animadverſum eſt in pleuritide; idem & hîc in catarrho ac tuſſi locum meretur omnino, ipsâ viam monſtrante naturâ, qvæ in declinatione horum affectuum vitioſæ expulſionem materiæ haut rarò per has vias hoc eſt ſudorem ac urinam molitur. Inprimis diuretica magni cenſeri fructus in fermentatione ſcorbuticâ (cui ut plurimum ſuam debent originem catarrhus pariter ac tuſſis) conſopiendâ, ſcitè inculcavit Highmorus de affectione hypochondriacâ. Videntur etiam alii qvibus nondum innotuêre inventa recentiorum, hæc fuiſſe veſtigia ſubodorati: Uti cum ex medicamentis, tum ex theoriâ ipsâ conſtat. Ex medicamentis qvidem, qvod in expectorantibus palmam tribuerint cum aromaticis tum amariuſculis (qvæ utraqve vi pol-
lent

lent inſigni diureticâ) uti hyſſopo, angelicæ, Marrubio carduo benedicto carduo Mariæ, fœniculo & notæ ejusdem ſimilibus. Hinc ſummis laudum Encomiis dignæ ſunt, qvæ apud veteres itidem circumferuntur, aqvæ pectorales, ex chinâ, lignô ſancto, carduo benedicto, ſaſſaf. Agrimoniâ, hyſſop. Veronicâ, Betonicâ, ſemine aniſi &c. conſtantes, qvæ non aptam tantum coctamq; ad ejiciendum reddunt, ſed & vi diureticâ juxtà ac diaphoreticâ acrem educunt materiam. Qvamobrem à *Fracaſtorio* in ipſa φθίσει (diſpoſitionem tamen potius qvàm φθίσιν ipſam puto intelligendam) ſeqvens decoctum commendatur. ℞. lign. ſanct. ſarſap. chin. paſſul. ſ. q. f. decoct. ſecundum artis leges. Philippus Ingraſſias, (teſte *Rolfincio* Ord. & Method. Medicin. ſpecial. commentat. lib. VIII. ſect. I. cap. VII.) in conſilio pro Duce terræ novæ, plurimos ſe profitetur phthiſicos ſanaſſe uſu decocti ligni. Sed & ipſum ſenſu ſaniore exiſtimo intelligendum non tam de ipsâ phthiſi, qvàm de fermentatione catarrhali, qvæ facilè, niſi ſupprimatur in tempore, poteſt in φθίσιν ipſam degenerare. Si theoriam ſpectes veterum, & ibi latent hujus curioſitatis veſtigia. Sic *Mercatus* lib. de morb. puerorum c. 8. *in pueris*, ait, *contingere aliqvando ca-*

do catarrhum, ex imbecillitate renum non attrahentium ſeroſum humorem, unde fit, ut ille ſurſum translatus fiat materia catarrhi. Cujus exemplum imitatus *Lazarus Riverius* Obſervat. LV. Centur. I. *Filius*, inqvit, *Dn. de Bottatques in camerâ computorum Monſpelienſi correctoris undecimeſtris tentabatur catarrho cum tuſſi aſſiduâ & febre, pituitam freqventer evomebat, multum lac ſugebat, & parum mingebat. Poſt multa remedia cum perexiguo fructu uſurpata, juſſi ut inungeretur regio renum Ol. ſcorpionum Matthioli ter in die. Unde urinæ copioſiores redditæ & catarrhus imminutus.* Qvod ibi factum in catarrho ac tuſſi infantis, id locum tuetur omnino in adultioribus. Nunc rectà pergimus ad curationem ſcorbuti, ad doctrinam fermentationis Williſianam directam, qvæ eò qvidem eſt difficilior, qvò plura dantur humoris ejusdem diſcrimina, hinc qvæ aliis proſunt, aliis obſunt immane qvantum, aut fermentationem magis magisqve irritando, aut ſpiritum obtundendo nimis. Egregiè admodum ac ſatis nervosè *Conringius* Inclytus in conſilio qvondam pro Sereniſſimâ Sveciæ Reginâ (citante Clariſs. *Timæo von Gülderklee.* Epiſt. Medic. 30. lib. 3.) *tam paucis ait, & levibus remediis defunctus ſum, qvod ratione firmâ & longô uſu habeam compertum, non multa,*

non

non calida non varia tolerare illud ſcorbuti genus, qvô Sereniſſima Regina laborat, eôq; ſvadeo etiam, ne qvis temerè in Sereniſſimæ illius ſcorbuticæ curâ aliam viam ineat, exemplo forte aliorum ſcorbuticorum adductus: Varia ſcilicet humoris ſcorbutici diſcrimina, neqve in multitudine & magno pretio medicamentorum conſiſtit recta curandi ratio, ſed ſæpe in vilium qvoqve rerum uſu, modò juſtus & prudens ſit. Duæ qvidem ſpecies ſcorbuti præcipuæ ſuperius commemoratæ nobis ſunt ex Clariſs. *Thomâ Willis*, ex ſalis juxtà ac Sulphuris exaltatione, qvam in vinorum efferveſcentia datur obſervare, natæ. In altera qvidem ſulphur dicitur ſale, in alterâ ſal ſulphure, excuſsô ſpiritus dominiô, potentius. At cum latius pateant unius cujusqve limites, multisqve pro ægrorum varietate & circumſtantiarum paſſibus diſſideant; vel in unius curatione ſcorbuti campus aperitur latior, in qvo fatigent ſe & abundè exerceant medentes. Medicum autem deſiderat peritiorem ſcorbuti hiſtoria, ejusqve curatio: Cum in his locis ſeptentrionalibus vix reperiatur morbus, cujus comes non ſit ſcorbutus. Cujus qvidem medela accuratior qvamvis tota debeatur judicio medentium prudentiori; lubet tamen in gratiam tyronum, ne & hîc videar aſymbolus, certas

 veluti

veluti claſſes exſtruere antiſcorbuticorum, & in medendo cautelas ad Pathologiam Williſianam. Prima contineat cum ſalia fixa ſive plantarum, ſive mineralium: Tum qvæ terreſtri qvâdam ſubſtantiâ & humorum acrimoniam mitigant & acido-acre concentrant: Prioris generis ſunt ſal centaurii minoris, rutæ, Fumariæ, card. bened. abſinthii, item Vitriolum Martis, Tartarus Vitriolatus &c. poſterioris verò, corallia rubra, Margaritæ, raſura eboris, C. C. Unicorn. ver. ocul. cancr. &c. In alterâ verò claſſe locanda videntur amara, uti abſinthium, centaurium minus, carduus benedictus, chamædrys vera, Marrubium, matricaria, aloë, Myrrha &c. In tertiâ locum teneant aut ſalia volatilia ipſa, aut ſale abundantia volatili, uti ſal volatile C.C. urinæ, armoniac: Raphanus item ruſticanus, ſinapi, cochlearia, naſturtium, chelidonium minus, trifolium fiberinum &c. Qvartæ verò inferenda ſunt, aut ipſa ſalia volatilia oleoſa, aut fætida vel graveolentia: uti ſal volatile oleoſum Sylvii, tinctura caſtorei, ſpir. & Tinct. Tartari, ſpir. C. C. & id genus ſimilia. Agmen deniqve claudant qvintæ annumeranda claſſi ſpirituoſa & aromatica; qvalia ſunt angelica, caryophillata, lignum ſaſſafras, Meliſſa, Chæreſo-

refolium Hiſpanicum, Petroſelinum tam noſtrum qvàm Macedonicum &c. olea item ſtillatit. ut juniper: angelicæ, rosmarini, fænic. &c. Qvibus nunc poſitis applicatio fiat ad duas, qvas paulò antè recenſuimus ſcorbuti ſpecies. Pòſt ſigillatim & breviter de uno item & altero ſingularium; cum ipſos morborum artifices hiſtoria ſingularium, qvot & qvibus modis variet ſcorbutus; erudiat demum. Ad alteram qvidem ſpeciem, qvando ſulphur ſale eſt potius ex primâ & ſecundâ claſſe pro medentis judicio accuratiori; ad alteram verò, ubi ſal ſulphure potentius eſt, ſpiritu ipſo depreſſo, ex qvartâ & qvinta claſſe, haut rarò etiam ex tertiâ ſeligenda ſunt medicamina. Cum autem in utraqve ſpecie & ſpiritus detur depresſio, & ſulphuris juxtà ac ſalis combinatio, collectu eſt facile, qvàm latè extendantur utriusqve pomæria, cum ſpiritus in aliis major, in aliis minor depresſio, major item copia vel minor ſulphuris ægrorum intuitu, nec non diverſus humorum concurſus in diverſis diverſitatem ſvadeant curationis. Hinc ex ſingulis ſpeciebus varii naſcuntur caſus, qvos altius hìc omnes excutere, ἀδύνατον omnino eſt, cum novi veluti qvotidie oriantur ſub alio atqve aliô ſymptomatum indutu. Coronidis

loco duas hîc tantum obſervatiunculas, ad pathologiæ ductum Williſianæ, eâ qvâ par eſt brevitate lubet ſubnectere. Una qvidem contigit in viro qvôdam Apenradenſi phlegmatico-melancholico, is laborabat alterâ ſcorbuti ſpecie Clariſs. Williſio recenſitâ, ſalinæ nimirum particulæ nimis exaltatæ ſulphureas multis ſuperabant paraſangis, unde & tumor pedum &c. ventris, ipſum hydropem videbantur minari. Qvocirca opus erat & tertiæ & qvartæ claſſis medicamentis fortioribus. Magno igitur erat uſui vinum, cui raphanus ruſticanus cochlearia, Naſturtium & alia id genus cum ſuis corrigentibus erant infuſa; utq; ventriculo & reliqvis viſceribus ſuus redderetur vigor, ſpirtu ſalis dulci freqvens utebatur ſub prandio, cubitum verò iturus ſpiritu C. C. (qvi ſingularis inſtar arcani in ſcorbuto eſt) ad tumorem diſcutiendum & ungventa & Emplaſtra trahebantur in uſum. Qvibus medicamentis ſolis ope Numinis Propitii priſtinam ſanitatem recuperavit æger. Altera obtigit in Sene qvôdam hujus loci, qvi ſcorbuto laborat cum affectione hypochondriacâ. Is qvondam multis abundavit recrementis bilioſi pariter ac acidi humoris, qvæ vomitu ejecit jamtum copioſius. Sed ætate in ſenium vergente, & ſpiritu & ſulphure

puriore

puriore efferveſcentiâ ſeu fermentatione nimiâ attritis particulæ ſalinæ evehuntur nimis, unde ſangvis factus eſt crudior ſuiqve expers vigoris: Neqve non tantâ abundat flatuum catervâ, ut magno cum fragore ex ore prorumpant interdum cum virium ingenti imbecillitate. Ob ſalis abundantiam heterogenei ad diarrhæam proclivis eſt ſcorbuticam, qvæ facili negotio poteſt irritari vel aëris afflatu aliqvandò frigidioris. Rationem curandi innuit ipſa fermentationis philoſophia Clariſs. *Willis.* Sic enim ille de vinis, *Depauperantur vina, cum à longâ efferveſcentia ſpiritu & puriore ſulphure plurimum exhalatis particulæ ſalinæ exaltari incipiant. In hoc caſu remediis qvibusdam velut Cardiacis languidæ eorum vires ſuſtentantur. Sicuti ſpiritui ac ſulphuri nimium evectis & exaltatis, medetur vinorum à fæce opulentâ exemptio, ſic iisdem depresſis remedium eſt, ut fæci ſeu tartaro ditiori committantur.* Qvamobrem ad illius exemplum huic viro uſum commendavi aromaticorum, qvæ vino jubentur infundi, & ne liberius in corpore dominetur ſal illud peregrinum, per intervalla utitur ſeqventi mixturâ R. Miſt ſimpl. Eſſent, abſinth, compoſ. Rolfinc. Tinct. fl. hyperic. cum ſpir. vin. parat. an. Scrup j. M. d. ſ. *Ein Schör-Miſtur.* interdum etiam Elix. anti-

ſcor-

ſcorbutico Rolfincii : Ad flatuum catervam edomandam, qvintæ claſsis medicamentorum uſus oleorum ſtillat. aromaticorum, puta cort. aurant. citr. Meliſs. rosmarin. &c. & freqvens eſt, & oppidò proficuus. Qvippe uſu didici & experientiâ, ſymptomata morbi hujus gravio-ra multis partibus augeri potius qvàm imminui, ſi aqvæ illæ aromaticæ cum vino deſtillatæ uti Meliſſæ, lavendulæ, lil. convall. &c. veniant in uſum in exiguâ qvidem doſi: Cum enim tenuioris ſint ſubſtantiæ pituitam qvidem viſcidam reſolvunt in flatus, ſed illis diſcutiendis ſunt impares. Olea autem illa vim diſcutiendi fortiorem exerunt in ſubſtantiâ pingviore : Huic ergo fini fætida in qvarto antiſcorbuticorum cenſu à nobis poſita maximam hîc merentur commendationem. Qvamobrem huic qvoqve viro magno fuit uſui ſpiritus C. C. qvod robori langventi ſuppetias ferendo novo veluti fermento imprægnet ſangvinem & vi qvâdam pacificâ, qvâ fætida illa gaudent, humorum orgasmum videatur cohibere. Ex duabus tantum illis obſervationibus ſat liqvidò conſtat, qvantum ad curationem, faciat verior morbi cognitio. Qvibusdam enim altius inſedit hic error, ad ſplendorem tantum ac pompam cathedralem facere cognitionem morbi penitiorem,

rem. Sed ſolus ſcorbutus refutat hujusmodi rudiores; cujus & cognitio & curatio ſe mutuô amicâ conjungunt copulâ, ut alteri ex luce alterius ſplendoris nonnnihil accedat. Præclarè, uti omnia Magnus *Conringius* in Epiſt. Obſervat. Salmuth. præfixâ. *Plurimum*, ait, *referre ad curationem, num omnia ſingulorum morborum ſymptomata, adeoqvè ipſas inter ſe morborum differentias teneas; num qvâ qvisqve affectus ſoleat eſſe magnitudine, qvemadmodum moveatur, qvo eventu terminetur (ut alia prætercam) accuratè pernoſcas, an verò horum vel nihil ſcias, vel parum qvid, ſole clarius eſt meridianô. Usqve adeò compertum eſt illud, qvod ſcitè olim dixit Philoſophus Ammonius non ille Sacas aut Plutarchi Magiſter, ſed filius Hermiæ & Procli, Lycii ſcholâ profectus* ἰατρὸς ὁ ἄριστα γνοὺς, ἄριστα θεραπεύει. *Si hoc autem conceſſeris, vicit jam tum rationalium Medicorum diſciplina, & neceſſariò tibi fatendum etiam veniet, eum qvàm rectisſimè curaturum, qvem prim origo cauſæ non fefellerit, adeoqvè ad ipſum medendi officium pertinere in ipſas cauſas omnium affectuum qvoad licet, inveſtigando penetrare.* Et ſic ſcorbuti hiſtoria per ὕστερον πρότερον adumbrata nobis eſt, qvodammodo. Exprimere enim non patitur compendii ratio, & tractatus hujus, qvem meditamur, brevitas.

vitas. Coronidis loco lubet ſubjicere tanqvam aliud agenti cum quid ex fonte chirurgico,tum qvid ex diætetico profluat ad curationem ſcorbuti. Chirurgia qvidem in aliis ſcorbuticis, uſum phlebotomiæ ſvadet, in aliis verò disſvadet; ſi ſulphur ſale ſit potius, ipſo ſpiritu (ſenſu loqvor Williſiano) adhuc vegetiore, omnino opus eſt venæſectione, ſi verò particulæ ſalinæ, ſpiritus ipſius dominio ſive excuſſo ſive debilitato, præpolleant, ſatius eſt vel prorſus eam intermittere, qvàm uſui ejus indulgere. Magnâ etiam hîc fateor opus eſſe & prudentiâ, & judicio medentis ſingulari, ægri ſymptomata ſingula, & inde vel majus vel minus impendens periculum, probè expendentis. Qvô ſenſu in hæmorrhagiâ ſcorbuticâ juſtò largiore ex humoribus ſalſo-acribus natâ, qvæqve, niſi ſiſtatur in tempore, noxam minatur ingentem, phlebotomia omnino poteſt ad revellendum parcior, celebrari. Qvò autem notæ deterioris fuerit ſcorbutus, eò oportet Medicum eſſe in ſangvine mittendo cautiorem, ne debilitata magis natura evadat multò longeqvè inferior. In fonte diætetico hoc tantum unum ſumus excuſſuri, qvid aeris mutatio utilitatis, & qvare afferat ſcorbuto diuturniore laborantibus. Utilitas ipſa in aprico eſt, & uſu explo-

tata

rata crebriore, & exploratur etiamnum: Cernas enim licet interdum, à Medicis derelictos, aëris & loci mutatione ex inſalubri in ſalubriorem præter ſpem omnem eſſe priſtinæ redditos ſanitati. Nec ratio ipſa fugit aëris ipſius indolem tot atomis undiqve diverſis pro locorum diverſitate referti, ad ductum recentiorum, & rectius philoſophantium paulò altius advertentem. Hinc fit, qvod, cum in locis illis maritimis aut mari vicinis aër undiq; ſcateat atomis nitro-ſalinis & acrioribus multis, qvas ſingulis momentis unusqvisqve nôſtrum, & uberius & largius aëris beneficio ipſius non poteſt non imbibere, in ſcorbuticis ac hypochondriacis jam tum hujusmodi mutatio locorum plus conferat qvàm medicamenta qvæq; præſtantisſima, aut aliarum rerum non naturalium Medicis dictarum diæta exqviſitior. Et hæc qvoqve pro inſtituti noſtri brevitate ſufficiat de inventis Williſianis dixiſſe.

Cap.

CAP. III. SECT. POSTER.

Agit de legitimâ medicamentorum applicatione, in doſi, tempore, ac compoſitione conſiſtente, & qvî inde Arcana.

Artic. I. De doſi.

IN doſi ſeu qvantitate medicaminis conveniente permulta latere arcana; merito diſcant tyrones ab ipſo ſtatim praxeos ſuæ tyrocinio. Cave etenim exiſtimes rem levis eſſe momenti variis ægris decernere doſin medicaminis debitam, nec non perinde eſſe, qvâ doſi propinetur medicamen. Ipſe qvondam, cum tyro adhuc Helmſtadii agerem, & de cathedrâ audirem Dominum *Jacobum* Tappium D. ac Profesſorem Medicinæ in Inclutâ ad Elmum Juliâ Celeberrimum diſputationis Domini D. *Fabricii* Præſidem ad ictus opponentium & excipiendos & retundendos feliciter docentem, ac nervosè inter alia dicentem, in doſi conſiſtere totam artem medentium; ſummo mihi opere gratulabar de mirâ artis Medicæ & facilitate & brevitate, in cujus poſſesſionem plenisſimam fore augurabar, ut brevi pervenirem. Sed qvàm graviter jam tum fuerim hallucinatus, qvi doſeos determinationem pro ægrorum diverſitate

verſitate ac locorum diverſam tam parvi rem putavi negotii, pòſt vidi demum in arte Medicâ provectior aliqvantò. Sed ad rem ipſam. Qvænam igitur arcana ex doſi? Haut ſanè exigva, ita qvidem, ut, qvod propinatum convenienter ſacræ ſit inſtar anchoræ, ſummè poſſit contrà doſi illegitimâ nocere. Neqve verò in exceſſu tantum error (qvod vulgus ſentit) ſed & in defectu poteſt patrari. A purgantibus licet, à qvibus fiat initium, lucem nobis mutuari. Sua qvidem illis eſt ab authoribus (ex recentioribus Celeberrimus trium Regum Daniæ *Simon Paulli* & *Mœbius* conſulendi potisſimum ſunt) deſtinata doſis; infima, media ac ſumma. Sed cùm locorum, in qvibus agimus, tum ægrorum intuitu eadem multis variat pasſibus. Illinc qvidem, qvod alia deſideretur in locis calidioribus, alia verò in frigidioribus: Hinc verò variæ attendendæ ſunt circumſtantiæ cum ſexus, tum ætatis, tum qvoqve humorum concurſus. Exiguam tantum doſin exigit ætas imbecillior, largiorem verò robuſtior: Qvamvis nec hîc eâdem detur chordâ oberrare. Cum craſeos in his aut illis diverſitas ſingularis tantam ſvadeat interdum doſeos diverſitatem, ut, qvàm pueri, facilius haut rarò irritentur, moveanturqve adultiores. Qvod qvidem ipſum, qvamvis non niſi à poſteriore, uti lo-

qvuntur Philoſophi, innoteſcat, hoc eſt uſû demum ac peritiâ longiore: Certis tamen, qvoad ejus licet, opus tyroni eſt, qvibus innitatur, fundamentis, adeoqvè habeat, qvod in experiundo addiſcat. Qvæ nunc erudient plenius, & ſexus & confluxus hnmorum diverſus. Sexu ſeqviore uti robuſtior eſt maſculus, ita & doſi indiget largiore. Qvantumvis & hîc diverſa jubeat interdum temperies utriusqve diverſa; unde fit, ut viragines nonnullæ moveantnr ipſis viris difficilius. At paulò altius excutienda rei ejusdem eſt ratio, & ab ovo usqve, qvod ajunt, ad mala; ut ſic aditus pateat facilior ad humorum concurſum pariter ac nexum ſive arctiorem ſive remiſſiorem rectius cognoſcendum. In ſexu ſeqviore cum tenuior, dilutior ac fluxilior ſit ſangvis, ob carnem mollem, flaccidam porisq; perviam minus, haut æqvè, uti in maſculo tranſitu patente effluviis, ipsâqve adeò cum ſangvinis redundantiâ, tum concoctionis imperfectione in partem veniente, fœminæ poſſunt, multò, qvàm mares, facilius irritari. Qvodſi enim vel ſola odorum fragrantia ob ſubſtantiam tenuiorem maſſam ſangvineam in mulierculis nonnullis adeò poſſit commovere, ut ſymptomata exinde nata graviora ipſum videantur ſtangulatum minari? qvidni particulæ purgantiũ volatiles in maſsâ ſangvineâ excitent

fermen-

fermentationem, cujus, beneficio heterogeneorum ab homogeneis & ſegregatio fit, & excluſio per alvum facilior. Sed ſangvinis illa conſtitutio in ſexu ſeqviore rationem nobis ac copiam ſuggerit operationis qvoq; hujus in purgantibus diverſitatem colligendi in maſculis, in qvibus etiam ipſis, qvamvis à fæmellis hoc qvidem differant paſſu, ingens cernitur diverſitas: Poris haut æqvè in omnibus, nec tranſpiratione itidem patente. Qvod vel ſoli obeſi argumento nobis ſunt & exemplo. Accedit humorum non in maſsâ tantum ſangvineâ, ſed etiam in inteſtinis confluxus diverſus, vel pituitæ viſcidioris, vel humoris acidi, aut utriusqve, vel bilis in corpore redundantis, aut ſalſi humoris ac acris. Si bilis abundaverit, ac humor ſalſus ac acris, faciliore videntur negotio poſſe irritari; ſi verò humor adjunctus ſit acidus, aut pituita viſcidior, difficiliore. Qvocirca non eſt, ut mireris, pro horum diverſitate humorum ſcorbuticos alios alvi eſſe adſtrictioris, alios laxioris. Sed cautè purgandi utriq; ſunt, qvod non invidebo arcanum tyronibus noſtris, tot ægrorum experimentis uberius edoctus. Candidè autem ac citra fucum normæ inſtar alicujus, ad qvam & dirigant reliqva, & ſuâ ſponte experiundo ſapiant ipſimet, ut neutrâ parte videantur claudicare; hinc doſi nimiâ multum debilitando;

 illinc

illinc minore tumultum inanem haut citra moleſtiam ægri inſignem excitando; id dictum cupio tyronibus, qvonam pactô cum obeſi tum ſcorbutici pariter ac hypochondriaci ſint purgandi; & eniti inde altius detur, & penetrare ad id cognoſcendum rectius, qvod & invium viſum eſt hactenus, & non niſi à poſteriore hoc eſt uſu demum & experientiâ obtinendum. Sed nec experientiâ poteſt, qvâ vanè gloriantur veterani qvidam indocti (ut & illuſiſſe videantur doctioribus, & ſuæ tantum ſive avaritiæ ſive invidiæ litaſſe) niſi præviâ cognitione ſolidâ certi qvicqvam obtineri. Cave igitur fidem habeas hujusmodi thraſonibus dicam an ſycophantis, qvi nil niſi experientias ſpirant, & neſcio qvæ arcana, rerum Medicarum ignari, vulgiq; tantum judicio non cordatiorum, non rectius ſentientium Clari. Lucri helluones ſunt, ad qvodvis auri aut argenti aucupium, nullâ habitâ ratione conſcientiæ, inhiantes. Sed ad rem. Scorbutici igitur, ſi bilis, ſi ſalſi humores præpolleant, ſine ullâ acidi humoris miſturâ, facilius poſſunt expurgari, ſponte interdum ad alvi fluxum proclives. Sin acidus adjungatur humor, aut pituita viſcidior, non æq; facilè. At cautione tamen, ſi purgare velis, opus in utrôqve eſt. Hinc qvidem & aperientibus & pituitæ viſciditatem attenuantibus, aut aromaticis ac

ſalibus

ſalibus lixivis tam fixis qvàm volatilibus, qvibus acidum corrigitur mirum in modum. Illinc verò evacuantibus leniter, cùm qvod ſponte ad motum pronior ſit humor, tum qvod ægrum plus juſto purgantibus enervaturus in extremum vitæ diſcrimen ſis adducturus. Ante qvadriennium Coldingæ Doctisſimo viro affectione hypochondriacâ laboranti Pharmacopola purgans propinârat aliqvantò fortius: Unde æger, qvadragies & ultra alvo ſolutâ in pleuritidem incidit ſpuriam. Ipſe jam tum vocatus, Numine Propitio clyſteribus eundem carminativis, aliisq; medicamentis aperientibus priſtinæ reſtitui ſanitati. Par qvoq; ratio eſt de obeſis. Cum enim tranſpiratione ob pingvedinem aliqvantò ſufflaminatâ, multis ſcateat effluviis ſangvis, vim ſuam facilius exſerunt purgantia. Hinc obeſos interdum puerorum inſtar facillimè poſſe moveri manifeſtum eſt, neq; nos fugiunt in his etiam locis experimenta obeſorum illorum, qvi corporis qvidem proceritate florentes, vel decocto aut infuſo rhabab, aut foliorum ſenæ aliisq; lenioribus aut ſex tantum granis radicis Gialap. copioſius & ſolent & poſſunt ſolvi. Neqve verò hæc perpetuæ usq; adeò ſunt veritatis; cum in causâ qveat eſſe circumſtantiarum varietas, ut hi vel illi obeſi moveantur difficilius. At verò cum de doſi

purgantium dictum etiam ſit in commentar. meo de ſimpl. facultat. cognoſcend. properandum nunc eſt ad alterantia. In qvibus doſeos tanta vis eſt haut rarò, pro hujus varietate ſive majoris ſive minoris effectus oriatur diverſus. Vires facultatesqve naturæ doſi aliqvantò parciore camphora firmare videtur potius, qvàm enervare. At largiore contrà tantum abeſt, ut corroboret, ut vim flammæ genitalis etiam vulgò credatur reſtingvere. Juſta croci ac conveniens doſis manus cenſetur inſtar Divinæ, & vicem ſuſtinere polychreſti: Sed excedens illa nimis, tantum abeſt, ut magno ſit uſui, ut ipſum potius interitum minetur, & adferat haut rarò. Qvantâ item opus cautelâ ſit in uſu pariter ac doſi laudani opiati; & ipſe dixi fuſius in commentar. de ſimpl. facultat. cognoſcend. & *Tillingius* Cl. in tractatu de laudano opiato obſervavit probè. In doſi anticolicorũ, qvæ pro cauſa doloris colici & vehementia variâ & ipſa variat utiq;, qvàm cautus jubeatur Medicus eſſe, alibi memini attexuiſſe me prolixius. Et verò cũ hîc tantũ veſtigia intendamus ad majora edenda doctioribus, etiã hęc pauca ſufficiant de doſi.

Artic. II. De Tempore.

MUltum etiam momenti eſſe in tempore, qvô unum qvodq; medicamen ſumendũ, poſitum; vel lippis & tonſoribus notum

eſt.

eſt. In temporis autem conſideratione advertenda ſunt, morbi, anni, & dierum tempora. Suis veluti temporibus circumſcribuntur morbi acuti; unde principium, augmentum, ſtatus & declinatio. Qvantâ horum intuitu in malignis opus ſit variatione, tam dictum ſupra ubertim eſt, ut vix verbum lubeat addere. Paucis tamen hic & veluti παρέργως excutiendum eſt, an in pleuritide etiam ultra qvartum diem phlebotomia ſit imperanda. Certè ita qvidem viſum ſtatutumqve eſt Præſtantisſimis qvibusqve Medicorum, & vero videtur ſimile, ipsâ qvoqve ſymbolum conferente experientiâ. Interim ſymptomatum diverſitas Medicum prudentiorem ſerius demum vocatum jubet interdum in plethoricis etiam ultra qvartum diem uſum ſive ſvadere ſive imperare venæſectionis. Ante qvinqvennium in his locis mulieri pleuriticæ, cum & ſerius vocarer, & ſangvinis redundantiam & robur adhuc conſtans cernerem; venam juſſi ipſo morbi die octavo incidi; tanto qvidem cum fructu, ut brevi priſtinam recuperaret ſanitatem. Sed rariora hæc ſunt, nec imitanda ſtatim tyronibus. An in morbillorum primordio vena qvoqve ſit ſecanda; itidem meretur examinari. Ipſis jam maculis erumpentibus, non temere periculum eſſe venæſectionis faciendum, unô videntur

ore medentes conſentire; ne à curſu qvem intendit natura, deflectat. An verò ſit ante eruptionem incidenda, multi ſunt, qvi adſtruunt. At cautè tamen ac parcè, & non niſi in plethoricis à Medico cordatiore jam tum admittenda videtur veneſectio. Chronicis qvoq; morbis ſua tempora eſſe deſtinata, ignorare arbitror neminem. Cum morbus in fieri dicatur eſſe, cum ſeminaria ejus obſervemus recens pullulantia: Pòſt ingraveſcens, cum vis mali ipſius jam radices egerit altiores: Statum verò tenere; ſi nec hinc nec illinc declinet: Hoc eſt qvando nec ſpes colligenda eſt melioris; nec metus deterioris: Agmen deniqve claudit declinatio, ſi vel ad ſalutem tendat vel ad interitum. In qvibus ſanè ipſis cautio adhibenda eſt maxima pro morborum varietate. Aliter enim (exempli gratiâ) φθίσις incipiens curanda eſt, aliter jam confirmata. Qvod fuſius ſolet inculcari ipſis morborum artificibus. Solent autem (ſi confirmatus fuerit morbus & pertinacior) Medici Cordatiores aliqvot interdum dies, imò ſeptimanas integras ceſſare ab uſu medicaminum omni, ut pòſt eò alacrius vires ſuas exerat natura, veroq; fiat ſimile, qvod ille ait, non uti Medicinâ optima interdum eſt Medicina. Nunc ad anni tempora: Qvorum vernale uſui medicaminum cum alterantium tum purgan-

tium maximè videtur idoneum: Horum qvidem, qvod & ipſum temperatisſimum ſit, & humores tempore hyberno ſopiti veris calore agitentur. Illorum verò, qvod præter ipſam aëris temperiem herbæ jam tum & ſcorbuticæ & aliæ, qvæ non ſcorbuti tantum contagiis ſed & aliis morbis permultis eunt obviam, ſale ſuo volatili, in qvo vis Medica reſidet præcipua, maximè ſint gravidæ. At contrà minus & venæſectioni & purgationi idonei cenſentur dies ili caniculares. Verum non tam ex menſibus, qvàm ipsâ aëris temperie (rectius advertente *Primeroſio* de error: vulgi lib. 4. cap. XVI.) metienda hæc tempora ſunt Medico prudentiori. Contingere etenim poteſt, ut ipſis diebus canicularibus aër ſit temperatior, qvàm ipſis Maij, & calidior contrà ipſis Maij, Aprilis aut Martii diebus, qvàm canicularibus. Neq; verò non deniq; temporum obſervationem accuratiorem reſpuit & limitibus nullis circumſcripta necesſitas, & morbi vehementia ipſius, cujus intuitu vel qvodvis anni tempus aut hora diei à morborum artificibus peritioribus & ſolet & debet deſtinari, ne ſummo ægrum diſcrimini exponat cunctatio. Tandem etiam de diei temporibus, perpaucis. Atqvi verò in diei temporibus aut horis occupato commodisſimum videtur illud tempus,

qvô natura & liberior *eſt*, & ad operandum alacrior, (hujus enim beneficio in actum neceſſe eſt medicamentum ducatur) illud autem maximè datur à concoctione peractâ. Unde errant, qvi ſtatim à cœnâ (exactâ nondum concoctione) pilulas putant purgantes propinandas. Qvorum in erroribus refutandis, qvò accuratior fuit *Primeroſius* l. c. eò ipſe nunc ſum brevior. In febribus autem intermittentibus dies eligendus eſt intermisſionis, ne cum duplici veluti hoſte confiictandum ſit naturæ. Sunt qvidem, qvi arcani loco habent, ſi ipſo paroxyſmi febrilis tempore ſumatur purgans. Sed qvàm enormiter illi deflectant à ſcopo; & qvot inde excitatæ ſint & excitari qveant tragædiæ; dictum uberius eſt in comment. de ſimplic. facultat. cognoſcend. & tantum etiam de tempore.

Artic. III. De Compoſitione.

QVemadmodum vim ſimplicium noviſſe rectius non cujusvis eſt; poteſtq; adeò viliſſimũ qvodq; arcani maximè ſingularis vicem interdum induere rectius utenti: Ita res magni momenti eſt, & peritum arguit artificem compoſitio ritè & prudenter à Medico Cordatiore concinnata. Cujus intuitu tot Empiricorum arcana vileſcunt ſordentqve doctioribus. Qvippe illi unico haut rarò medica-

dica-

dicamento ſuperbiunt ex tot ingredientium farragine citra ordinem citraq; judicium congeſtô, ut ſingulorum rationes ingredientium ſi velles reddere (qvod in compoſitis ſuo jure exigunt Medici peritiores) face opus eſſet, uti ille ait, & viatico: Cum ingredientia videantur potius numerata, qvàm penſitata: Qvod ſcitè, uti omnia, Cl. *Hofmannus* cap. 3. Paralipom. Officinal. aſſerit de theriacâ Andromachi. Hujusmodi farraginem ſimplicium qvibusvis ægris exiſtimant convenire: Cum tamen vel unum ingrediens in cauſa haut rarò ſit, ut ſuâ naturâ æger immane qvantum abhorreat à toto compoſito; ut vel ſolæ hyſtericæ argumento nobis ſunt oppidò luculento: ut nihil nunc dicam de doſi ingredientium ſingulorum præpoſterâ, de contrariorum coäcervatione nimiâ, ut alterum alterius vires videatur obtundere potius qvàm augere, & aliis notæ ejusdem, qvi hîc patrantur, erroribus; &, ut verbo abſolvam omnia, mole indigeſtâ. Compoſitis qvidem ſuus debetur fructus: Qvod alia ſimplicium correctione, indigeant, alia verò ſubſidio. Sed ſi compoſitionem velis veluti arcanam, hoc eſt huic vel illi ægro oppidò congruam, oportet ut in ſingulis ægris pro temperamenti morbi ac ſymptomatum indole diverſâ, diverſimodè in-

ſtituas

ſtituas compoſitionem. In qvâ,ut ritè perficiantur omnia, qvatuor ſunt advertenda, Baſis, adjuvans, digerens & corrigens. Baſis eſt, qvæ ipſi morbo opponitur, cujus qvantitas reliqvorum doſin ingredientium multis ſuperet paſſibus. Intelligenda autem hîc nō molis qvantitas eſt, ſed efficacię. Detur (ex gr.) hoc purgans compoſitū.

R. Pulv. Fol. ſen. Cremor. Tartari an. Scrup. j. Reſin. Gialap. gr. xvj. Elæoſacchar. fænic. gr. iiij. M. f. l. a. pulv. d. S. *Ein Purgier-Pulver auff 2. oder 3. mahlen.*

Baſis vicem in hoc pulvere gerit reſina Gialapii, cum tamen cremoris Tartari & foliorum Senæ major adſit qvantitas. At facilis hic nodus eſt, qvod reſina Gialap. purgans ſit fortius, & doſi exiguâ vim exerat majorem, qvàm vel cremor Tartari vel folia ſenæ largiore. Hinc ſedecim grana reſinæ Gialap. cum Scrup. j. vel cremoris Tartari aut foliorum ſenæ comparata jure ſuo vicem poſſunt baſeos obtinere. Baſis igitur eſt medicamentum ipſi morbo oppoſitū, & qvantitate ſumptum majore. Si bilem velis (ex. gr.) in corpore ægrotantis redundanté evacuare, baſeos vicem teneat aut rhabarbarū aut aliud cholagogū; reliqva, vel digerentis vel adjuvantis aut corrigentis (ceu pòſt dicetur uberius) uti patet in pulvere meo antifebrili laxativo.

R. Cremor. Tartari, Rhabarb. Opt. an. ſcrup. j. reſin.

reſin. Gialapp. Salis centaur. min. an. gr. ij. Elæoſacchar. citr. fænic. an. gr. j. M. f. l. a. d. S.
Ein laxirendes Fieber-Pulver auf einmahl.

Baſin in hoc pulvere tenet rhabarbarum; qvamvis doſi videatur cum cremore Tartari convenire; cum rhabarbarum in eadem doſi cum cremore Tartari, multò ſit ac longè viribus ſuperius. Par ratio eſt febrifugi illius Riveriani, qvod ex criſtall. Tartari, Antimon. diaphoretic. & ſcammon. ſulphurat. æqvali portione augurantur conſtare Medici Magni Nominis. Qvæ qvidem ingredientia qvamvis videantur qvantitate convenire, ſi molem ſpectas qvantitatis; baſin tamen ſuſtinet, ſi efficaciam, ſcammoneum, bilis aliorumqve humorum vitioſorum evacuationi deſtinatum: Reliqva vel adjuvant tantum aut alterant ac corrigunt. Neqve verò id tantum obtinet in purgantibus, ſed & in alterantibus. Et hoc dictum ſit de baſi. Adjuvantia dicuntur porro, qvæ medicamento leniori ſtimuli loco ſolent addi, ut ſi pulveri foliorum Senæ aut Rhabarbari ſtimuli loco addideris aliqvot grana aut reſinæ Gialapii, aut ſcammonii, aut alia ejusdem notæ. Neqve verò non eadem addi conſueverunt alterantibus, uti diſcere id licet in decoctis ſpleneticis pectoralibus, & id genus ſimilibus; ſolent enim duo tria aut plura ſpe-

cifica

cifica ad unum eundemqve effectum obtinendum, ut alterum vires alterius juvet unô veluti conjugio ſociata in eâdem qvantitate ſumi; Sed ingens eſt & inveteratus jam altius egit radices, qvi hic ſolet ſæpius committi error: Dum tot tantaqve ejusdem valoris in eâdem qvantitate tam præpoſterè & citra judicium conjunguntur, ut non mirum ſit, ægrum interdum pejus habere ab uſu hujusmodi medicaminum. Qvod perſpicue docent tot compoſita Auguſtanæ phamacopæiæ pompoſa magis, qvàm ægris proficua, in qvibus tamen corrigendis Celeberrimus *Zwelferus*, multum operæ ſtudiiq; videtur poſuiſſe, eôq; nomine ſe orbi literato haut vulgariter commendaſſe. Si ea conjungantur ſpecifica, qvæ mutuas conferunt inter ſe operas, vel corrigendo, vel alterando; haut fit citra fructum; Probè igitur miſcentur cochlearia & beccabunga, (uti fit in ſirupo ſcelotyrbico Foreſti) cum hæc illius acrimoniam poſſit mitigare, adeoqvè vim illam ſpecificam contagium illud ſcorbuticum ſive debellandi ſivè conſopiendi mirificè augere. Neq; verò hâc ratione corrigentia confunduntur cum adjuvantibus, cum amicè conſpirent interdum, ut qvæ corrigunt, vim qvoqve ipſam augeant; qvæq; vim Medicam augent, hoc ipſo etiam videantur corrigere. Qvibus poſitis ſimulq; junctis

ctis ex noxiâ qvodammodo, grata utilisq; reddi poteſt acrimonia. Ad eundem modum meliſſa cum fumária, chamædris cum chamæpithi, veronica cum ſcolopendrio, fl. bugloſæ cum violis, radix Cichorii cum ſcorſoneta, caryophillata cum pæoniâ &c. & poſſunt & ſolent conjungi. Neq; verò fas eſt ut in eâdem qvantitate miſceantur: Qvocirca & hic ingenti opus eſt medentis judicio, cujusvis vim medicaminis, an in exiguâ qvantitate multum aut parum promittat; An vis hujus potior reqviratur qvàm illius, probè expendentis; ne (Ex gr.) ſi qvis in aromatico qvódam excellentiore qvatenus aromatico vim morbi alicujus propellendi qvæſierit præcipuam, ad aromatici tamen acrimoniam qvodammodo mitigandam aliud addiderit in qvantitate juſto majore, vim ipſam Medicam Excellentioris aliàs medicaminis penitus videatur perdidiſſe. Sed hæc à paucis obſervantur accuratius, cum unusqvisq; penes pharmacopolarum famulos longâ ſpecificorum ſerie citra judicium coäcervatorum magnam nominis ſui famam cupiat comparare. Unde multorum formulæ medicamentorum nihil aliud ſunt, qvàm catalogus ſpecificorum. Neq; verò hic plebejus tantum error eſt, ſed & in ipsâ orcheſtrâ haut rarò & nomen meretur & applauſum, uti tot pompoſæ, qvæ circumfe-

run-

runtur, qvarumq; origo non infimæ claſſis debetur Medicis, indicio ſunt compoſitiones. Digerentia ſunt, qvæ aperiendo humorem præparant; qvalia ſunt cremor & criſtall. Tartari, Tartarus Vitriolatus, fæculæ bryoniæ, pæoniæ, ari &c. inprimis verò ſalia plantarum ut Sal Cichorii, centaurii minoris, matricariæ, rutæ &c. qvæ & irritando & incidendo adeò hîc conveniunt, ut eqvidem haut ſciam, an ulla digerentia dentur commodiora. Qvippe in illis, qvi facilè irritantur, loco purgantis ſunt, cujus indolem & ipſam reſidere in ſui generis ſale, fuſius dictũ eſt in commentario de ſimpl. facultat. in Decoctis digerentium vice funguntur ſpecifica, ut in decocto hepatico Agrimonia; in ſplenetico ſcolopendrium, in pectorali Veronica, & alia, ſi è re videantur, ſpecifica ſunt eligenda. Corrigẽtia deniq; adduntur, qvæ aut vim purgantis noxiam corrigunt, aut ventriculo ſuccurrunt debiliori. Hinc addi cum fructu ſolent pulveribus purgantibus Elæoſacchara, ut aniſi, fæniculi citri aut notæ alterius: Decoctis verò aut ſemina illa calidiora ut aniſi, fæniculi, cumini: Aut aromata ut galanga, cinamomum, Zingiber, corticis citr. aurantiorum &c. Qvæ qvidem pro inſtituti noſtri brevitate ſufficiat dixiſſe de compoſitione.

DEO TRINUNI SIT LAUS ET GLORI IN SECULORUM MULTITUDINEM.